


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
36 N
31

DE
FIDELIVM
ANIMARVM PVRGATORIO, LIBRI DVO.
DE LIMBO PATRVM, LIBER TERTIVS.

Authore IOANNE LENSÆO BELLIOLANO, Sacræ Theologiæ Louanij Regio Professore.



LOVANII,
Excudebat Ioannes Masius, suis & Petri Fabri Bibliopolæ sumptibus. ANNO cIɔ. Iɔ. LXXXIIII.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.



REVERENDISSIMO DOMINO MAXIMILIANO MORILLONIO, TORNACENSIS ECCLESIÆ PRÆSVLI DIGNISSIMO,

Ioannes Lensæus S. D.



Agnas deberi gratias, Reuerendiſs. Præſul, hominibus ijs quorũ in Rempub. Chriſtianam cura propenſior, ſtudiorum nobis Vniuerſitates erexit, omnes qui verè ſtudioſi ſunt, lubentes agnoſcunt. Eſt enim apud omnes pios in confeſſo, quantoperè ſit per illos adiuta pietas, quã inter imperitos rudiorem & incultam ſuiſque deſtitutam neruis atque ornamentis iacere neceſſe erat, niſi liberalium artium ſtudiis accuratius excoleretur & illuſtraretur. Sed illis vt communibus quibuſdam ſtudiorum & politio-

ris doctrinæ parentibus, si eos forsitan æquare non possumus, qui parta & adultiora iam literarum Gymnasia conseruârũt, proximo tamen hos profectò loco subiungere debere videmur. Quorum beneficij in re literaria conseruanda magnitudo, tum demum euidentius clariusq; patescit, cum in aliquo pereundi periculo illa versetur. Siquidem labentem eam ne penitus corruat sustinere, aut propè iam in prædonũ manibus trepidantem eripere, tantumq; non oppressam atque extinctam in spe aliqua recuperandæ libertatis ac lucis collocare, id illi primorum, quos dixi, parentum gloriæ, tanta accessione vicinum est, vt meriti æstimatione vix quicquam distare videatur. Porrò hac rerum no-

ſtrarum tempeſtate tantum non modo periculorùm formidauit, verumetiam malorum detrimentorumq; perpeſſa res literaria eſt, vt his quidem in locis tanquam vulneribus confectam, & vltima iaculantem ſuſpiria, ſpectare ac deplorare cogamur. Cùm enim literarum ſtudijs, pacem & tranquillitatem amantibus, armorum ſtrepitus bellorumque furor per ſeipſum ſit inimiciſſimus, tum ita Sathanæ ſubtiliſsima induſtria cõparatum eſt, vt ipſa ſtudiorum illorum ſedes, peiore & iniquiore loco eſſe non poſſet. Quid igitur in ea ipſius nomine dignum àgeretur, quam non modo cinxiſſent vndique latrones corporum, verum etiam hoſtes ex profeſſo talium ſtudiorum? Veruntamen

tot circumuallata inimicorum cuneis, tot exterrita periculis, tot insidijs appetita, tot afflicta & operta malis, numerositatem & decorem perdidit, professionem suam & exurgendi spem non reliquit. Idque cum Dei in primis Optimi Maximi summæ erga nos benignitati, deinde Regiæ Maiestatis pijssimæ vigilantissimæque prouidentiæ acceptum ferendum sit; tum Vestræ Reuerendissimæ Paternitatis officia, semperque pro nobis anxia & solicita sedulitas, quantum eôdem contulerit nos id nescire stuporis esset; non agnoscere, ingratitudinis non ferendæ, iure optimo videretur. Sed cum eius rei publicum, &, quoad fieri posset, longissimi temporis testimoniũ extare quam maximè

con-

conueniret, præstarique id ipsum etiam à pluribus æquissimum, honestissimumque esse iudicarem; nolui ipse quidem, pro mea virili, deesse tam honestæ æquitati & æquissimæ honestati. Quæ caussa fuit, vt cum tres hi Libelli iusta quadam ratione poscente, prodituri essent in lucem, eos Vestrę potissimum Reuerentiæ, præfixa hac epistola, donandos dedicandosque putauerim. Tametsi cur id facere me debere crederem, & illæ accedebant caussæ, quod Parcensem familiam, in qua per annos iam complures versor, magnis officijs beneficijsque deuinctam iamdudum teneres. Pro qua quidem familia, de me citra controuersiam optimè merita, etsi Paternitati Vestræ satisfacere nullo mo-

do posſim, tamen vt eò voluntate quam proximè accederem, conatumque aliquem ſatisfaciendi, vel hunc in modum ſuſciperem, mearum partium eſſe mihi omninò perſuadebam. Patronum quoque valentem quempiam, cuiusque magna & grauis in Eccleſia eſſet authoritas, prudentiaque celebris hi Libelli requirebant; propterea quod ijs aduerſus hoſtem acriter præliantibus, accidere fortè poſſet, vt non benè fixo pede, ſubindè leuiter ceſpitantes, confirmatore quopiam indigerent. Quod igitur eiuſmodi cauſſis adductus feci, rogo, Paternitati Veſtræ non minus acceptum gratumque ſit, quam & candido animo factum eſt, & vt fieret honeſtiſsima ratio mihi perſua-

ſuaſiſſe videtur. Oro interim illum paſtorum principem, vniuerſique Chriſtiani gregis principium ducem, vt Veſtræ Paternitatis miniſterium quam diutiſsimè Eccleſiæ ſuæ integrum, incolume expeditumque conſeruet.

Lovanii, è domo Parcenſi. Anno 1584.

Reuerendiſs[a]. Veſtræ Paternit.

addictiſſimus,

Ioan. Lenſæus.

INDEX CAPITVM PRIORIS LIBRI
De Purgatorio.

Non

CAPITA LIBRI II.

De Purgatorio.

De Limbo Patrum.

Fru-

PRÆ-



PRÆFATIO.



Vlla doctrinæ Catholicæ pars est, nullus omnino fidei nostræ articulus, quem sic parui momenti putare debeamus, vt non pro eo sit vigilantissimè depugnandum. Etenim aduersarius, si qua in parte nos depræhenderit minus instructos atque munitos, vt iure bono possit nostram imbecillitatem traducere & suam ostentare victoriam; facilè persuadet grauioribus etiam in rebus minus esse caussæ nostræ confidendum, ac tanquam lapide vno moto atque excusso, posse breui totum ædificium labascere; pauloq; maiore conatu subuerti. Recusandum certè non est quantum ille omnia circumspectat, tentat, modisq; & artibus quibus potest oppugnat, tantum nos elaborare in eo oportere, vt partes nostræ non solum inuictæ permaneant (quia nequit veritas errori succumbere) sed ne etiã labefactatæ esse videantur. Ac sicuti alius post alium surgit, ac veluti fatigato & cadenti succedit ad oppugnandum, perq; ingenia multa & varia, & linguas & stylos armatur hostis veritatis: ita

nobis esse non debet satis, si qui de maioribus nostris, ipsis authoribus ac ducibus primis restiterint, fidemq́ue nostram libris eruditis ex omni parte munierint; nisi & discipuli discipulis sese fortiter prompteq́ue opponant; vt quoniam vel noua subinde argumenta proferuntur à recentioribus hæreticis, vel antiqua ipsa nouè proponuntur, atque explicantur argutius; non desint hominibus catholicis aduersum hæc antidota propria, quibus muniantur, nec apta instrumenta quibus errorum dissoluantur nexus. Hæc autem eò dico, ne qui mirentur, cur eadem de re tam variè scribatur à multis, neuéq́ue indies libelli prodeant in lucem, quibus explicetur aliquid aut defendatur catholicæ & auitæ doctrinæ. Quid enim habeat rationis, vt illis quotidie noui quippiam cudentibus, nos otio & desidia torpescamus? Ac patior non necessarium videri, vt propter eos libellos qui procul ab orbe nostro seminantur, sedulus hic à nobis suscipiatur labor: sed cum ij iam qui procul licet editi sint, his tamen locis habeantur, legantur, ediscantur, passimq́ue nobis ingerantur in manus; nemo dixerit dissimulandum silendúmq́ue fuisse: ne veritatis professo-

fessores, minus promptè ei seruiant ad hominum salutem, quam erroris ministri hunc studeant propagare ad pernitiem plurimorum. Cùm igitur ex copia librorum, quibus vicinæ ciuitates ad infelicissimam egestatem abundant, obtrusa mihi esset Benedicti Aretij Problematum Theologicorum pars quædam, in eáque vidissem, inter ea quæ partim verè ex institutione retenta catholicorum, partim contra veritatis regulam, in scholis hæreticorum posterius percepta, disputantur, magno hoc agi molimine vt Purgatorium esse nullum crederetur; existimaui mei esse studij ac muneris, ea breuiter refellere, quæ pro errore tam noxio afferuntur ab hoc authore; ordine quidem non incommodo rerum tractandarum, sed magna tamen imbecillitate rationum.

Quod in hoc argumento, hæretici Ecclesiæ sanctæ se aduersari palàm demonstrent. CAPVT PRIMVM.

DE Purgatorio, inquit, acturi, hoc ordine rem tractabimus. Primum, quid dicant Purgatorium. Deinde vbi sit collocatũ. Tertio, quomodo ex sacris literis confirmetur. Quarto, quam commodè affirmetur ex Philosophorum & Poëtarum placitis. Demum, quod tandem sit verum Christianorum hominum Purgatorium, quo expiant culpam & pœnam plenariè. Ita tandem constabit quam malè hactenus de eo disputatum & traditum sit in Scholis & Ecclesia.

Postremis verbis quid haberet sibi propositum cum de Purgatorio dissereret, declarauit. Nimirum hic scopus erat, vt constaret quam malè hactenus esset in Scholis Catholicis de Purgatorio disputatum, quamque falsa de eo traditio Ecclesiam occupauisset per annos iam circiter mille & quingentos. Et vide quam se detegat, vtque se aduersarium esse sanctæ Dei Ecclesiæ imprudens profiteatur. Non enim ait: Ita tandem constabit quam malè hactenus de eo traditum sit inter Papistas, aut ab aduersarijs nostris: sed quam malè de eo traditum sit in Ecclesia. Veruntamen non aduertit quam hoc scripturæ canonicæ parum consonet, in qua expressum est Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, & portas inferorum aduersus eam non esse prævalituras,

1.Timo.3. *Matth.16.*

ras, aliáque permulta eodem pertinentia. Quæ quonam modo vera esse possunt, si tam falsa de Purgatorio traditio, ab ipsis, vt sentiunt, profecta portis inferorum, præualuit in Ecclesia tamdiu, & hanc quam isti nunc proferunt doctrinam, vt solam veram & salutarem oppressit? Sed quemadmodum à Catholicis constituta sit Purgatorij ratio; deinde in eo quid huius iudicio peccarint, videamus.

Catholici scriptores quid sentiant esse Purgatorium, triplici descriptione ostenditur. CAPVT II.

Q*Vod rem*, inquit, *concernit, Purgatorium aiunt locum medium inter æternam fœlicitatem & supplicium damnatorũ: in quo qui sint, sunt extremi vtriusque participes. Ita quidem tria distincta nobis proponunt loca; Cœlum, Inferos, & inter hæc medium Purgatorium.*

Est hæc indubiè, Areti, Catholicorum de Purgatorio sententia, esse locum, siue, vt loquitur Augustinus, receptaculum quoddam abditum, in quo quæ continẽtur animæ, medium quendam habent inter felicitatem æternam, & damnationem reproborum statum; extremi quidem vtriusque participem, sed ab vtroque interim longo discrimine separatum. Etenim in eo statu, ærumna est & afflictio & pœna, quæ pro peccatis in hac vita contractis exoluitur; id quod habet cum gehenna commune. Est nihilo-

Ench. 109.

hilominus in eodem iustitia, pax & tranquillitas conscientiæ, societas cum Christo eiusque omnibus membris; magna denique securitas, qua habēt exploratum se de iustitiæ statu nunquam esse deinceps casuras. Atq; hæc illi sunt cum cælesti beatitudine cōmunia; immo quędam eius sunt inchoationes, quibus & ab ipsa consummatione, quæ est in regno, & ab æterna damnatione, quæ est in gehenna, differt plurimum. Quippe hoc in extremo sempiternæ infelicitatis, horrida, turbulenta & plena desperationis sunt omnia: vbi iniquitas, quamuis torquetur, dominatur; & à societate sanctorum, incommutabili decreto segregata & proiecta reproborum turba, æternis pœnarum vinculis, societati dæmonum astringitur.

Alij, inquit, *dicunt: Est satisfactio qua post mortem à defunctorum animis pro peccato penditur. Hi non tam locum describunt quam vtilitatem illius. Nam duplicem constituunt satisfactionem: vnam in hac vita; alteram post hanc vitam in Purgatorio.*

Rectè hi quoque non locum describunt. Quæ enim abditissimi receptaculi & loci, descriptio dari potest? Vt enim spiritus & expers corporis substantia, quid sit concipere animo vix possumus; ita quis, qualisque eius sit locus, quoque in eo sit modo, ægrè possumus aut cogitatione concipere, aut verbis explicare. Neq; id quod à prioribus medius esse dicitur inter felicitatem æternam & supplicium damnato-

rum

rum locus, propter corporeum ſitum dici intelligendum eſt; ſed propter ipſum illum quem explicauimus animorum ſtatum. Vt enim æterna felicitas, ſeu Paradiſus, regnumq; cælorum, non eſt æſtimandum ex loco propriè, ſed ex ſtatu, hoc eſt, ex clara Dei viſione, quæ mundis corde promittitur, vbi ſcriptum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Vnde & Latroni dicitur: Hodie mecum eris in paradiſo: neque etiam Angeli ſancti, quia hic nobis dati ſint ad tutelā, propterea in regno ſuo non ſunt; de quibus dicitur: Angeli eorū ſemper vident faciem patris, qui in cælis eſt. Vt ipſi quoque dæmones quocunque loco circumuolent, ſuum ſecum ſupplicium & gehennam, damnationemque trahunt: idque potiſſimum ſpectamus in inferno; loci interim ipſius, quis & vbi, qualisq; ſit multum ignari: Ita cum Purgatorium dicimus animarum, non tam locum aliquem in quo recluſi illi ſpiritus ſint attendere debemus (quamuis in hoc admodum pro ſua conſuetudine, noſtra propendeat cogitatio) quam ſtatum ipſorum ærumnoſum, & afflictione doloribusq; plenum; ſed temporarium, nō æternum; & alijs quidem productiorē, alijs breuiorem, prout ſe hic cuiuſq; merita habuerint. Benè proinde vt prima, ita illa quæ ſecūdo loco ponitur, Purgatorij deſcriptio, nō tam locum deſignat, quam ſtatū, eiusq; vtilitatem. Eſt enim alicuius modi ſatisfactio, quæ poſt mortē à defunctorum animis pro peccato penditur. *Matth. 5.* *Luca 23.* *Matth. 18.*

Generatim autem ac iuxta grammaticam significationem, satisfactio est cum tantum supplicij, tantumq; vindictæ exoluitur, quantum irato satis sit vt placetur, & irasci desinat. In inferno igitur satispassio quidem esse potest, vt sic loquar, Satisfactio verò esse non potest, vbi nullus expectetur supplicij finis, nulla in amicitiam reditio. Quippè satis patitur, qui dignã suis meritis pœnam pendit, etiam si æterna illa sit. Satisfacimus verò læso cuipiam & irato, cum pœna quam subimus, illius tandem ira cõquiescit. Nam cùm irasci desinit nunquam, sed incessanter affligit, quamuis iustitiæ satisfit æterno supplicio; tamen offenso, tunc intelligimus esse satisfactum, cum eum aliquando placatum recipimus. Porrò duplex est, vt hic etiã commemorat, satisfactio. Id quod explicare docendi gratia, sic (ni fallor) haud incommodè possumus; vt alia sit satisfactio in pœna, alia satisfactio pro pœna. Cum enim lege fixa est pro offensis pœna, vt, verbi gratia, effossio oculi, amputatio manus, patibulum, &c. hasce pœnas si quis iudicij decreto subire cogitur, eius est in pœna satisfactio. Sin autem permutatio, & pœnæ eius, quam lege fixam diximus, redemptio quædam & compensatio recipitur; velut mulcta pecuniaria, aut vltroneum quodpiam erga eum qui læsus est officium seruitutis, hæc erit pro pœna satisfactio nuncupanda. Cùm igitur destinatum peccato supplicium propriè futuri seculi sit, quod tempus non fru-

ſtra iudicij, quemadmodum Auguſtinus annotauit, ſignificatur eſſe in diuinis literis; velut cùm ait Apoſtolus, Statutum eſſe hominibus mori, poſt hoc autem iudiciũm; quiſquis poſt hãc vitam ob ſuas offenſas in ærumna eſt, temporarium de manu Dei ſupplicium excipiens, eius eſt ſatisfactio in pœna. At ſi quis non hoc expectet, vt in vltrices incidat Dei manus, ſed præueniendi ſtudio, pœnas hic de ſeipſo pro culpæ magnitudine expetit, ſeque ipſum affligit modis Euangelica & Apoſtolica doctrina probatis, vt ieiunijs, vt orationibus, vt piis vigilijs, vt ſubtractione propriæ ſubſtantiæ ad eleemoſynas largiendas, aliiſque eiuſmodi carnem affligentibus officiis; quoniam talem commutationem, ſiue redemptionẽ diuina recipit benignitas, ſuæque miſericordiæ præcepto requirit, cùm iubet dignos fructus pœnitẽtiæ facere, aut peccata redimere eleemoſynis, huius ergo ſatisfactio pro pœna eſſe cenſenda eſt. Seipſum enim hic punit, vt præparatam in futuro ſeculo pœnam euitet. Quæ vltrò ſuſcepta, & ex offenſæ ſyncero dolore oblata Deo ſatisfactio, pergrata illi & accepta eſt, plenioremque gratiam & vitam æternam promeretur. Atque hæc talis pœnitentiæ ſatisfactio eſt, quam hic agere iubemur. Altera verò futuri ſeculi ſatisfactio, nõ ad noſtrum pertinet officium, ſed ad Dei iudicium, qui illic animaduertit in eos, qui ſeipſos hic non iudicauerunt, iuxta id quod ſcriptum eſt; Si noſipſos iudicaremus, non vtique à Do-

Euchi. 66.

1. Cor. 11.

mino iudicaremur. Cùm autem iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Cùm igitur in nosipsos, pœnitentiæ dolore extimulati vlciscimur, tum ipsi Domino satisfacimus. At cum nos ipse Deus iudicans flagellat post hanc vitam, atque acerbis excipit cruciatibus, magis ipse sibi de nobis satisfacit, corripiens nos & repurgans penitùs, vt à perdita mundi societate segregemur. Nam si id in hac vita subindè facit, morborum, mortiumque plagas immittens, quemadmodum
1.Cor 11. loco memorato significauit Apostolus, quid alienum si quod hic non fecit, post hanc vitam facere credatur, præsertim cum illud tempus, sicut dictum est, propriè iudicij dies, tempusq; sit? Si quis autem obijciat in Purgatorio pœnam temporariam suscipi, vt æterna non incurratur, sicut docere videtur Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 24. cùm ait, quosdam in futuro sæculo, post pœnas consecuturos esse misericordiam, ne in ignem mittantur æternũ. Et eiusdem libri capite 3. Quibusdam, inquit, quod in isto sæculo non remittitur, remitti in futuro, id est, ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur iam diximus. Eiusmodi igitur sententias ex Augustino collectas, si quis obijciat, tanquam quæ significent, Purgatorij pœnam satisfactionem esse pro pœna; temporariam videlicet pro æterna; responderi poterit, hæc ideo dixisse Augustinũ, quod per remissionem quæ fit in hac vita virtute clauium, reatus damnationis

tionis æternæ, in ſupplicium temporariũ commutetur; ideóq; hoc pro illo ſuſcipi: quia niſi eſſet Dei benignitate ea facta commutatio, vigore tamen præſtitæ hic condonationis, illa æterna fuerat ſubeunda.

Tertiam adiungit Aretius Purgatorij notationem, his verbis: *Summa angelica inquit. Eſt pœna grauiſſima, minor tamen quam infernalis. Opinor, pœna illi dicitur, quia non pro culpa, ſed pro pœna diluenda eſt inſtitutum.*

Pœnam verè dixit grauiſſimam, comparatione ſuppliciorum vitæ huius: quæ tametſi magna ſæpè acerbaque ſunt, tamen cum futuri ſæculi purgatorijs comparata cruciatibus, parua ducuntur. Sententia eſt hæc D. Auguſtini, cùm ſcribit in Pſalmum 37. atque in eum verſiculum; Domine ne in furore tuo arguas me, ſic commentatur; vt deprecari Prophetam ſignificet futuri ſæculi pœnas, quas Domini furor infert. Atque ad id proferens Apoſtoli teſtimonium, de his qui ſalui futuri ſunt per ignẽ, *1. Corint. 3* inter cætera ſic dicit: Quia dicitur, ſaluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis ſaluus per ignem; grauior tamen erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita; & nouimus quanta hic paſſi ſunt mali, & poſſunt pati. Hæc Auguſtinus. Sed quamuis pœna hac comparatione grauiſſima ſit, minor eſt tamen quam infernalis. Primum, quia illa temporaria eſt, hæc æterna: ſiquidem ad damnationis & infelicitatis magnitudinem, incredi-

biliter

biliter facit ipſa æternitas; cum cogitatur quãtumcunque temporis detractum ſit, tamen adhuc infinitum eſſe quod reſtat. Deinde, vt ſit par ſubindè cruciatus ab igne, tamen illic mirifice conſolatur, ſummi boni vel poſt longa tormenta adipiſcendi ſecuritas. Hic extremum malum eſt, à facie Dei ſine ſpe reuocationis eſſe proiectum. Cuius quidem mali magnitudinem D. Auguſtinus expendens epiſto. 75. quæ ſcripta eſt ad Auxilium, negat cum damno vnius ánimæ infantis ſine regenerationis lauacro decedentis, innumerabiliũ mortes corporum poſſe comparari. Ideoque & D. Chryſoſtomus hoc ipſum vigilanter noſtrę cõſiderationi ſubijciens: Ponamus, inquit, ante oculos, quanti doloris ſit excludi ac proijci à regno cælorum, quod vt mihi videtur, grauius eſt ipſa gehenna. Nam etſi ignis ille non arderet, & immortalis illa pœna non eſſet parata, hoc ſolum quod alieni efficimur à Chriſto, & excludimur à bonis æternis, nónne omni pœna cruciabilius diceretur? Ex quibus Chryſoſtomi verbis elucet pœnas inferni & purgatorij, non ſola æternitate differre (quod ab omnibus concedi, Lutherus temerè affirmabat) ſed ipſa omninò pœnæ damnationiſque natura. Aliud quippè eſt regnum differri, aliud penitus auferri. In quo ineſt pœnarum ingens diſtantia, etiamſi ignem eiuſdem rationis, paremque ab eo interdum exiſtere cruciatum vtrobique fateamur. Tribus autem hiſce purgatorij deſcriptioni-

Libro 1. de compunct. cordis.

Vide apud Roffenſem art 37.

ptionibus, ad hunc modum breuiter explicatis, videndum iam est, quónam modo eas, hic noster Benedictus, non bene dicendo labefactare conetur.

Aduersus primam descriptionem Aretij obiecta diluuntur. CAP. III.

PRima definitio, inquit, *eò mala est, quia tria constituit loca, cum sacra literæ tantum Cælos norint & Infernum post hanc vitam, dextram & sinistram; quemadmodum totum mortalium cœtum in hædos & oues partitur Matthæi 25. Sinistris & dextris solum loquitur rex ille gloriæ. Et virgines solum prudentes & stolidæ sunt. Ager Dominicus solum zizaniam & triticum fert. Rete euangelicum, bonos & malos pisces, nullos inter medios capit. Non debuit igitur locus tertius induci sine certo Dei verbo. Quod quam verè dicatur, audi Aug. differentem contra Pelagianos libro 5. Tertium locum ignoramus penitus, immò nec esse in scripturis sanctis inuenimus. Finge Pelagiane locum ex officina dogmatis tui, vbi alieni à Christi gratia, vitam requiei & gloriæ possidere paruuli possunt. Pelagianos euertit quod malè negarent infantibus baptismum, quia tertius nullus dari potest locus inter cælum & inferos post hanc vitam. Pari argumento exploditur Purgatorium, quia tertius non est locus inter vitam beatam & damnationem.*

Principiò, Areti, cùm ais, sacras literas cęlum tantum nosse & infernum, si constare tibi velis, nomi-

nomine inferni locum intelligis damnatorum, ſeu reproborum, in quo gehenna eſt & ſupplíciorum æternitas. Nam ſi de inferis loqueris, quomodo ſcriptura loqui ſolita eſt, velut cùm
Geneſ. 42. ait Iacob: Trahetis canos meos cum dolore ad inferos. Cùm ait Anna illa Samuëlis mater in
1. Reg. 2. Cantico; Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Cum deplorat
Iſaiæ 38. Ezechias; Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Cum in Chriſti
Pſalm 29. perſona, gratulantis voce dicitur; Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Cum idem ipſe lo-
Pſalm. 15. quitur de ſua reſurrectione ſecurus; Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Quomodo etiam inter fidei noſtræ articulos ponitur, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe: tum etiamſi dederimus ſcripturam diuinam præter Cælum & Inferos nihil noſſe, non id magis Purgatorij nobis aſſertionem extorſerit, quam Limbi, vt paſſim vocant, patrum: vtrumque enim apud inferos promptiſſimè intellexerimus. Nam ſicut cæli nomine vnus deſignatur locus, in quo tamen pro varietate meritorum manſiones multæ, variaque receptacula ſunt beatarum animarum: ita etiam latiſſimè patent inferi, iuxta familiarem ſcripturis vſum; locuſque licet ponatur vnus, in varia tamen eſt ille ipſe, loca ſtatuſque diuiſus. Nam & Patriarcharum, Prophetarumque ſpi-

ritus, laxati corporeis vinculis, in certam quampiam inferorum regionem deducebantur. Neque enim cuiquam fas fuit in cælum conſcendere, priuſquam ſanctorum omnium princeps Christus, victor cælos penetraſſet; ſed aſcendens ille, quemadmodum Apoſtolus ait, captiuam duxit captiuitatem, homines nimirum diaboli faucibus ereptos, aſcendens duxit in cælum, viamque hanc ignotam antea, minimeque tritam primus aperuit; vt quo præceſſerat caput, eodem deinceps membra ſequerentur. Et quamuis (ait Ambroſius in commentario) captiui & inuiti & alieni ducantur; Saluator tamen & ſuos duxit & voluntarios. Ac rurſum: Ex inferis, inquit, reſurgens ante omnes mortales aſcendit ſuper cunctos cælos, vt illuſam mortem oſtenderet creaturæ. Sic ille commentarius. Iuxta familiarem ergo ſcripturis vſum, ecce duo loca tantum, cælorum & inferorum: & tamen ea re nihil obſtante, Purgatorium, ſicut & Limbum, pulchrè retinemus, tanquam inferorum quaſdam partes. Quibus tamen locis qui incluſi tenebantur, firmiſſimo interuallo diſcluſi erant ab ijs, qui apud eoſdem inferos quaſi in profundiſſimas atque teterrimas partes deiecti, egreſſionis ſpem non habebant. In quibus & ipſe eſt princeps ſuperborũ Lucifer, ſicut de eo ſcriptum eſt apud Iſaiam: Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Quas partes ſi ſolas, inferni nomine pro vulgato magis loquendi modo quam

Ephes. 4.

Cap. 14.

pro vſu & conſuetudine ſcripturarum Aretius hic noſter intelligit, videt iam quam alienum à vero ſit quod aſſumit, ſacras literas duo tantum loca noſſe, Cælum & Infernum reproborum. Etenim ſanctos illos Iudæorũ pariter & Chriſtianorum patres, non in cælo fuiſſe ante Chriſti aſcenſum, ſed apud inferos potius, nec tamen loco damnatorum; ſi præter ſcripturam canonicam, qua & ſedulus operator, cultorque
Ecclẽs 9. iuſtitiæ properare dicitur ad inferos, Patrum quoque teſtimonijs docere voluerimus, aderit continuò grauiſſimorũ ſcriptorum iuſtus numerus. Velut Irenæi in fine libri aduerſus hæreſes. Tertulliani lib. de Reſurrectione carnis, & 4. contra Marcionem. Baſilij in illud Pſalmi, Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi. Nazianzeni in oratione de Paſchate. Ambroſij in oratione de fide reſurrectionis. Epiphanij in hæreſi Tacianorum. Hieronymi in caput 4 ad Epheſios, & tertium Eccleſiaſtis, & nonum Zachariæ. Auguſtini 17 de Ciuitate, cap. 11. & 20. cap. 15. Cyrilli libro 12 in Ioannem cap. 36. Gregorij Magni libro 6. epiſtolarum, epiſtola 179. & homilia 19 ſuper Euangelia. Damaſceni lib. 4. de orthodoxa fide cap. 29. Bernardi ſerm. 4. de omnibus ſanctis. Anſelmi in cap. 5. poſterioris ad Corinthios: pluraque his ſuo loco videre licebit. Quod verò adiungitur de dextra & ſiniſtra, de hœdis & ouibus, de virginibus prudentibus & ſtolidis, de bonis maliſque piſcibus, quibus ad-

dere licet (quod alij faciunt) austrum & aquilonem ex Ecclesiastis capite 11. vias item duntaxat duas morituris propositas, vnam vitæ, alteram interitus, inter quę media non sint, ideoque tertium induci non debuisse locum, quis non videt quam sit futile? Non enim tertius inducitur locus, in quo qui sint, neq; ad dexteram, neque ad sinistram pertineant; neque ad austrum, neque ad aquilonem; aut neque sint in numero ouium, neque hædorum; aut medij sint inter virgines prudẽtes & fatuas; pisces bonos & malos. Sed sicuti Patres illi sancti, nondum in cælo erant collocati ad dexteram patris, sed apud inferos degebant, & ad dexteram nihilominus pertinebant; quomodo & omnes prædestinati mortalem adhuc in terris vitam agentes: vnde cum dictum esset piscantibus discipulis; Mittite in dexteram nauigij rete, quoniam illic erant ij quos Deus præordinauerat ad vitam, copiosam cepêre piscium multitudinem. Sicut etiam ijdem de numero erant ouium, quamuis nondum in cælum subuecti. Quod mirum non est, cùm dicat Christus; Alias multas oues habeo quæ non sunt de hoc ouili: & illas oportet me adducere. Si enim oues appellantur, quæ nondum erant adductæ in ouile, quomodo non oues censendæ sint, nondum etiam ad dexteram patris in cælo constitutæ? Vt denique Patres ijdem inter prudentes non inter fatuas virgines; inter bonos, non malos pisces numerandi erant: ita

Ioan. 21.

Ioan. 10.

quoque illi, quos ad tempus purgatoria quædam claustra continent, non ad sinistram, sed ad dexteram (cum sint prædestinati) pertinere censendi sunt. Cumque ijdem iusti sint, & misericordiæ aliarumq; virtutum quibusdam officijs sibi prouidè prospexerint in futurum, & hic cibum oleumque sibi compararint; quoniam apud inferos non est cibum inuenire aut oleum emere, profectò à prudentium cetu virginum, segregari non possunt. Sed habet varios prudentia gradus, neque par in omnibus est, qui prudentes meritò dicantur: sicut non omnes æquè fortes, neque æquè temperantes. Qui proinde hic ita se ieiunijs macerant, orationibus, pijsque studijs affligunt, eleemosynis ita præparatos inferorum redimunt cruciatus, vt nihil reliquum sit quod debeat flagello Dei post mortem expiari, inter prudentes iure prudentissimi habentur. Quomodo etiam non oues, à dextris, qui sint audituri: Venite benedicti patris mei? Quomodo non pisces boni, qui non abijciendi sint, sed in æternum beata felicitate conseruandi? Quomodo non habendi in aceruo granorum, qui sint in horrea Domini congregandi, non vt zizania colligandi in fasciculos ad conbustionem æternam? Ab alijs quoque quod profertur de austro & aquilone, similem habet duorum extremorum, inter quæ medium nullum sit, rationem. Siquidem ad Aquilonem pertinent omnes reprobi, qui in diaboli parte futuri sunt: ad Au-

strum

ſtrum omnes prædeſtinati; quia ſunt, vel futuri ſunt in parte & ſocietate ſanctorum, quos gratia tanquam in auſtro illuminat, fouet ac recreat. Nam diabolus, inquit Auguſtinus, & angeli eius à luce atq; feruore charitatis auerſi, & nimis in ſuperbiam inuidiamque progreſſi, velut glaciali duritia torpuerunt: & ideo per figuram tanquã in aquilone ponũtur. Vnde cum generi humano diabolus incubaret, de ventura gratia ſaluatoris dicitur in Cantico canticorum: Exurge aquilo, & veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata. Exurge qui irruiſti, qui ſubditis incumbis, qui poſſeſſos premis; Exurge vt à tuo pondere releuati erigãtur, quorum animas premendo curuaſti; Et veni auſter inquit, ſpiritum inuocans gratiæ flantem de meridie, velut à parte feruida & luminoſa, vt fluant aromata. Vnde Apoſtolus dicit: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Hinc etiam dicitur in quodam Pſalmo: Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro: Captiuitatem, ſcilicet qua ſub diabolo, tanquam ſub aquilone tenebantur, vbi abundante iniquitate friguerant, & quodammodo congelauerant. Hinc enim & Euangelium dicit: Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. At verò flante auſtro glacies reſoluitur, & torrentes fluunt, id eſt, peccatis remiſſis, populi ad Chriſtum charitate concurrunt. Hinc & alibi ſcriptum eſt: Sicut glacies in ſereno, ita ſoluentur peccata tua. Hactenus

Epiſt. 120 ad Honoratũ, cap. 22.

Cap. 4.

2. Corin. 2.

Pſal. 125.

Matth. 24

Eccleſ. 3.

nus Augustinus de austro & aquilone. Cuius authoris quam nihil deinde premat nos locus ex libro quinto Hypognosticon: facillimum erit animaduertere, si eius verba plenius aliquantò prolixiusque recitentur. Interrogarat Pelagianum antea, vt præter regnum cælorum alium daret locum, vbi vitæ requies posset esse perennis. Talem enim Pelagiani fingebant, paruulis ijs qui sine baptismo ex hac vita migrauerant; vt neque essent in gehenna, neque in regno: sed alicubi tamen ab omni doloris & tristitiæ sensu remoti, vita quadam beata, eaque sempiterna fruerentur. Sed, primum locum (inquit Augustinus) fides Catholicorum diuina authoritate regnum credit esse cælorũ; vnde non baptizatus excipitur. Secundum gehennam, vbi omnis apostata, vel à Christi fide alienus, æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in scripturis sanctis inueniemus. Tertium igitur Augustinus locum ignorari dicit, imò reperiri posse negat, in quo videlicet qui sint, neque crucientur à gehenna, & tamen extra regnum vitam viuãt beatam. Vnde cum primò requirit à Pelagiano, vt talem designet vel fingendo locum; Finge, inquit, Pelagiane locum, ex officina peruersi dogmatis tui, vbi alieni à Christi gratia vitam requiei & gloriæ possidere paruuli possint; consequentibus deinde verbis, vt palam faceret eum se tertium intelligi velle locum, in quo qui esset, non pertineret ad regnum aut gehen-

gehennam; non ad dextram, neque ad sinistram, ideoq; non ad vitam neque ad mortem; subiunxit continuò: Dextera est iusti iudicis sedentis & sinistra, regnum est & gehenna, vita est & mors, iusti & iniqui. In dextera igitur iusti sunt constituti, in sinistra operarij iniquitatis. In regno requies baptisatorum; in gehenna pœna incredulorum. Vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & stridorem dentium. Iusti in regno patris cum Christo; iniqui in igne æterno parato diabolo & angelis eius. Hæc Augustini verba in quo nostram sententiã infirmant? quid habent quod non libenter fateamur? an eos qui in Purgatorio ad tempus sunt; à dextera in qua sunt collocandi; à regno ad cuius possessionem vocandi sunt; à vita quam expectant certa securitate; à numero, & societate iustorum cum sint iusti, nostra opinione reijcimus? Quod alienissimum à nobis esse, si luce meridiana clarius est, qua fronte illa nobis obijciuntur? Præsertim cum ea quæ consequuntur, satis declarent D. Augustinum, sub regno compræhendisse ea omnia quæ referuntur ad regnum. Nam hoc dicens, inquit, non diuisiones locorum multorum dedi, nisi duorum tantum: quoniam ad duo, regnum videlicet & gehennam, hæc omnia referuntur, etiamsi plura dicantur. Dextera enim vita iusti, vel, sicut dixi, addamus iustitia, sanctitas, beatitudo, & cætera bona, quæ ad regni cælorum requiem referuntur. Sic ille. Cùm igitur in

Purgatorio, iuſtitia & ſanctitas adſint, eaque pertineant ad regnum, conſequens eſt illas etiam animas horum ratione ad regnum pertinere. Regnum enim Dei non eſt eſca & potus, quemadmodum Apoſtolus ait, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. His autem frui bonis iuſtos poſſe, etiam in cruciatu, martyres teſtantur. Iam ergo regni participes illæ ſunt animæ, quamuis plenius incomparabiliter maculis omnibus expurgatis regnaturæ. Denique cum hoc ſit argumentum quo D. Auguſtinus Pelagianos euertit: Nullus dari poteſt tertius locus, in quo paruuli ſine baptiſmo decedentes beati eſſe poſſint: ergo vt beati ſint ac miſeriam euitent, neceſſariò ſunt baptizandi; quis non intelligat quam ridiculè dicatur pari argumento euerti purgatorium? Neque enim aſſumebat Auguſtinus, non eſſe medium locum inter beatam vitam & damnationem, quod iſte præſupponit, nam Pelagiani haud grauatim id annuiſſent Auguſtino: Paruulos enim ſine baptiſmo abeuntes, in extremo altero, hoc eſt, in vita beata collocabant. Sed hoc, quod dixi, aſſumebat, non eſſe medium locum inter regnum & gehennam, in quo vita poſſet eſſe beata, quæ tribueretur paruulis ſine baptiſmo decedentibus: Quod idem ſi aſſumitur ad euertẽdum Purgatorium, vides agi perinde atque ſi quis aërem feriat vt ſolem extinguat. Docet ſanè alibi quoque B. Auguſtinus, non eſſe locum medium, velut libro 21

Rom. 14.

de ci-

de ciuitate Dei capite 25. ſed attende quo modo; nimirum vt non ſit in æterno ſupplicio, qui nunquam ſit futurus in regno. Sic enim ait: Iam inquit reſpondeamus etiam illis, qui non ſolum diabolo & angelis eius, ſicut nec iſti, ſed ne ipſis quidem omnibus hominibus liberationem ab æterno igne promittunt: verum eis tantum qui Chriſti baptiſmate abluti & corporis eius & ſanguinis participes facti ſunt, quomodolibet vixerint, in quacunque hæreſi, vel impietate fuerint. Sed contradicit eis Apoſtolus dicens: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Hæc profectò apoſtolica falſa eſt ſententia, ſi tales poſt quantalibet tempora liberati, regnum Dei poſſidebunt. Sed quoniam falſa non eſt, profectò regnum Dei nón poſſidebunt. Et ſi in regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur: quoniam non eſt locus medius, vbi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in regno. Hæc B. Auguſtinus, quibus nihil à nobis contrarium dici, luce meridiana clarius eſt; quando eos qui ſunt in Purgatorio, non dubitamus futuros in regno. *Galat. 5.*

Quomodo post hanc vitam nullus sit satisfactioni locus; vbi aduersus secundam descriptionem, Aretij argumenta dissoluuntur. CAP. IIII.

A*Ltera definitio*, inquit, *eò mala est, quia satisfactionem transfert in futurum saculum, seu post mortem defunctorum. Primum enim, tempus gratia solum in hac est vita, iuxta Apostoli sententiam Galatarum sexto. Dum tempus habemus, operemur bonum. Quod D. Hieronymus explicans, ait: Tempus sementis, tempus est præsens, & vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare: cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur. Et Augustinus: In futurò solum est remuneratio & condemnatio. Hic autem, aut soluuntur aut ligantur peccata. Et Cyprianus expressè inquit: Quando hinc excessum fuerit, nullus pœnitentiæ locus, nullus satisfactionis effectus relinquitur. Et Christus hoc ipsum docet exemplo Latronis,*
Lucæ 23. *cui dicit: Hodie mecum eris in Paradiso. Et Ioã. 5. ait: Qui credit in eum, &c. de morte transit in vitam. Statuamus ergo bonos hinc transire ad vitam æternam; malos contra ad damnationem æternam: nec esse vllum locum pœnitentiæ, postquam semel mortui fuerimus. Præterea, nocens est illa opinio, cum homines securos faciat, quasi post mortem pœnitentiam agere possint; etiamsi illam in hac vita negligant.*

Hactenus ille. RESPONSIO.

Satis-

Satisfactionem aliquam, Areti, ad futurum sæculum nonnulli transferunt, sed quæ neque actio frugiferæ pœnitentiæ, neque meritoria sit: tum quod illic per iudicium pœna legis incurritur quæ hic redimi potuisset, vt esset voluntatis non necessitatis satisfactio: tum quia nec patientia in perferendo, nec virtus vlla in agendo meritū habet post hanc vitam. Quippe alia est meriti, alia boni operis aut mali ratio. Quis enim neget, aut beatos spiritus benè, aut damnatos malè operari? & illorum quidē magnas esse virtutes, perfectamq; iustitiam; horū obduratissimam iniquitatem? Et tamen nec illi merentur præmium quod sunt assecuti, neque isti supplicium quo iam afficiuntur. Vt ergo bonum opus sine merito, ita & satisfactio quædam esse potest. Quemadmodum & contritio, seu dolor de peccatis admissis, ex dilectione iustitiæ profluēs, seu tristitia quæ secundum Deum est; & confessio, siue peccati sui humilis agnitio coram oculis diuinæ maiestatis; planeque ipsa pœnitentiæ virtus; sicut fides & spes, atque ex ipsa spe orta deprecatio, & charitas, post hanc vitam consistere sine merito potest. Non quia tum æquè bona non sint hæc, atque prius; cum etiam illic forsitan augeantur: sed quia merendi post hanc vitam nō sit locus. Etenim vsque ad mortem voluit Dominus merendi tempus extendere, vt quæstus hic interim posset fieri cumulatior, præmiaque maiora, & vberiora gaudia, comparari. Post

verò, iudicium esse ex quo quisque secundum merita hic cõparata reciperet. Nemo proindè aut vitam æternam, quam hic non fuerit meritus, mereri post hanc vitam potest, neq; vllam conciliare sibi misericordiam & gratiam, quam in hac mortali vita non conciliauerit: sed quæcunque illic misericordia præstabitur, ea dabitur intuitu meritorum vitæ huius; non autem propterea quod illic primum fuerit impetrata. Non enim emerendæ vel impetrandæ gratiæ tempus illud est; sed benè si quis eam hic est meritus recipiendæ. Fatemur proindè hic solum esse gratiæ tempus; non quod ea tantummodo hic detur: Alioqui quomodo scriptum
Roma 6. erit: Gratia Dei vita æterna? &: Qui coronat
Psal. 102. te in miseratione & misericordia? Quomodo
Matth. 5. item beati misericordes, quoniam ipsi miseri-
Iacob. 2. cordiam consequentur? Ac rursum: Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiã. Vnde colligitur eius qui misericordiam fecerit, iudicium misericordia esse temperandum. Quo etiam pertinet quod illa dicebat fortissi-
2. Mach 7. ma septem filiorum mater, vltimum adhortãs ad martyrij constantiam. Dignus fratribus tuis effectus suscipe mortem, vt in illa miseratione te recipiam. Et iterum: Qui formauit hominis natiuitatem, quique omnem inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam. Et si propterea hic tantum gratiæ tempus est, quod illic nulla gratia detur, quomodo ipsi vitam æternam vsque

adeò intelligunt eſſe gratiam, vt nullo merito reddatur indignis? Ecce ipſorum confeſſione quanta eſt hæc gratia, quæ poſt mortem datur. Quomodo ergo tempus gratiæ, ſolum eſt in hac vita? Primum, quia gratia quædam eſt, & ea quidem præcipua, quæ non niſi hoc tempore conceditur. Ea nimirum eſt gratia conuerſionis, qua mundo & peccato reiecto, ad Deum atque iuſtitiam animus conuertitur; ſiue ipſa iuſtificatio prima, qua ex iniuſto iuſtus, ex inimico amicus, ex ſeruo liber ac filius quiſpiam efficitur: Ea cum hic præſtita non fuerit, poſt hanc vitam nemini tribuetur. Sera ergo illic erit, ad obtinendam reconciliationem & amicitiam Dei, pœnitentia. Deindè, quod ad reliqua pertinet; quæ ad Domini gratiam & miſericordiam ſpectare noſcuntur, tempus hoc ſolum eſt promerendæ impetrandæque à Domino gratiæ; vt ſiue hic donetur, ſiue poſt hāc vitam, non tamen alijs votis, precibus, ſatiſfactionibus, quam ijs quæ in hac vita ſuſceptę ſint, impetrata, obtenta, & conciliata eſſe, debeat intelligi. Neque verò video quid obſtet, quo minus interpretemur, propter vtrumque horum à B. Paulo dictum eſſe: Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes; maximè autem ad domeſticos fidei. Primum enim hoc ait: exerceamus hic erga proximos officia charitatis: neque ſolum erga Deum, verum etiā erga fratres noſtros, Chriſtiano dignos geramus affectus. Nam eius vitæ hoc nunc tem- *Galat. 6.*

pus

pus est: quod si præterierimus, atq; id per ignauiam & malos mores exegerimus, frustra nos alios sperauerimus futuros post hanc vitam. Significat ergo primam illam, conuersionis & bonæ Christianæque vitæ gratiam, non nisi in hac vita dari. Propter quod Apostolus ait alio
2.Corin.6. loco: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nūc dies salutis. Nam salutem, qui hic non pararit sibi, eique maturè consuluerit, de nihilo eam quærat postea. Præterea & hoc compræhensum arbitror, vt moneamur hic merita comparare, quibus post hanc vitam leuemur. Id etiam huius duntaxat est temporis. Atque tum hoc dixerit Apostolus: Dum merēdi tempus affuerit, ne cessemus bonorum operum accumulare nobis merita. Illud etiam Ecclesiastici decimo quarto capite scriptum: Antè obitum tuū operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Rursum (quod illi simile est) apud Ecclesiasten capite 9. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos quo tu properas, potest ad vtrūque referri, hoc est, ad boni operationem, comparationemque iustitiæ, & meriti rationem. Tanquam si diceretur; Si non fueris ante obitum iustitiam operatus, non eam post obitum comparabis: & si hic tibi bona merita non congregaueris, nullus erit postea merendi locus, etiamsi non desit operandi. Hoc ipsum D. Augustinus clarissimè scriptum reli-

reliquit, Enchiridij cap. 110. Hic inquit, omne meritum comparatur, quo post hanc vitam releuari quisquam possit vel grauari. Nemo autem speret quod hic neglexerit, cum obierit apud Deum promereri. Sed & Diuus Hilarius eandem sententiam, doctè & grauiter expressit, in explanatione Psalmi 51. Non enim confessio peccatorum (inquit) nisi in huius sæculi tempore est, dum voluntati suæ vnusquisque permissus est, & per vitæ licentiã habet confessionis arbitrium. Decidentes namque de vita, simul & de iure decidimus voluntatis. Tunc enim ex merito præteritæ voluntatis, lex iam constituta, aut quietis aut pœnæ, excedentium ex corpore suscipit voluntatem. Cuius temporis non iam liberam sed necessariam voluntatem ostendit propheta, dicens. Non est mihi in diebus illis voluntas. Cessante enim voluntatis libertate, etiam voluntatis, si qua erit, cessabit effectus. Transire namque ad Abraham volens diues, chaos medio non sinitur; cum tamen per libertatem voluntatis in Abrahæ finibus esse potuisset. Interclusa est ergo libertas voluntatis, quia confessio nulla sit mortuis, secundum id quod dictum est: In inferno autem quis confitebitur tibi. Hæc D. Hilarius. Quibus pulchrè cõsonat quod ait D. Hieronymus in Epistolam ad Galatas scribens: Tempus sementis, tempus est præsens & vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare: cum ista vita transierit, operandi tempus aufer-

Lucæ 16.

Psalm. 6.

aufertur. Quæ iste verba, more peruerso, ad suum detorquet institutum. An enim existimandum est D. Hieronymum significare voluisse animas post mortem esse otiosas, & sicut quidam somniant, dormire eas vsque ad extremum iudicij diem? nihil operabuntur sancti post resurrectionem, laudantes assiduè redemptorem suum, & perpetuum alleluya canentes? nihil impij, qui iustorum salute conspecta
Sapien. 5. turbabuntur & dicent: Ecce hi quos habuimus in derisum? Quomodo ergo per mortem operandi tempus aufertur, nisi quia nullum erit merendi? Sed vt non sequitur nullum fore post hanc vitam opus bonum, quia nullum erit meritum; ita prorsus effici non potest, nullam esse futuri sęculi satisfactionem, quia nullum possit ibi meritum comparari. Quid autem hunc Cyprianus adiuuat, quia dicat scribens contra Demetrianum, quando hinc excessum fuerit, nullum relinqui pœnitentiæ locum, nullum satisfactionis effectum? Primum enim hoc dicere vult: si cum Deo hic non redierimus in gratiam, nobisque eius amicitiam, pœnitendo, & pro delictis satisfaciendo conciliauerimus, frustra quæsituros post hanc vitam aditū aliquem quo possimus ad Dei gratiam peruenire. Infidelē quippe Demetrianum adhortatur, vt credat, agatque pœnitentiam, tantisper dum viuit; quia (inquit) hîc vita amittitur, aut tenetur: Hîc saluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Nunquid fideli & iam

amico & iustificato dicitur: Nisi hic plenissimam fueris assecutus remissionem peccatorũ, nulla postea vitę spes, nulla expectanda remissio? Non ergo illic amicitiam inchoari, quæ prius nulla fuerit dicimus; sed hîc cœptã munere iustificationis, posse illic perfici, minimè dubitamus: non illic frugiferæ pœnitentiæ, cũ hîc acta non sit, locum facimus: sed si hîc acta quidem per contritionem & confessionem, & aliquantam, saltem in desiderio, satisfactionem, minus plenè peccatum expiauerit, pœnasque aliquas temporarias propter insufficientiam sui reliquerit, has dicimus post hanc vitam expendi, istoque modo satisfieri Deo, vt eius ira conquiescẽte, post pœnam, plenè purgatas animas ad sui vultus conspectum admittat. Loquitur deinde Cyprianus de satisfactione ea qua peccata redimuntur, quæq; pro pœna abolenda suscipitur, non ea quæ in ipsa pœna per Dei iudicium sustinetur. Demetrianum quippe, eiusque similes hortabatur, vt maturè sibi consulerent, prouiderentque in futurum, & satisfactionibus vltroneis futura supplicia euitarent: idque hic monebat faciendum esse, quoniam post hanc vitam nullus sit talis satisfactionis effectus, cuius intuitu præparata alioqui supplicia relaxentur. At Augustini forsitan magis verba premunt, quia dicat in futuro solum esse remunerationem & condemnationem; item hic, & non ibi videlicet, peccata solui & ligari. Quæ molestiæ quidem affer-

afferrent nonnihil, si cogeremur omnem futuri sæculi remunerationem seu retributioné, in ipsa beatione & regno constituere, aut omnem condemnationem in gehenna: verum id necesse non est, quia nisi & ipsa misericordia qua parcit Deus & indulget, deque iudicij sui seueritate remittit aliquid, ad ipsam quoque
Matth 5. futuri sæculi remunerationem pertineret, non legeremus scriptum; Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; quod ad futurum maximè sæculum pertinere cæteræ ostendunt beatitudines, in quibus quod
2.Timo.1. promittitur propriè futuri sæculi est. Nō etiam Onesiphori domui precaretur Paulus misericordiam in illa die, propterea quod ipsum pio miserationis officio refrigerasset, atque adiuuisset. Non alia dicerentur, quæ supra de futuræ vitæ misericordia protulimus, nisi misericordiæ, quæ hic præstatur ab homine, aliqua esset futuri sæculi remuneratio, ipsa Dei misericordia. Nam & hanc Propheta inter
Psal.102. retributiones connumerauit, cum ait: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & sanat omnes infirmitates tuas. Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Plena igitur illa propitiatio, quę in futuro sęculo tribuitur, remuneratio est, sicut etiam quod omnes sanat languores & infirmitates nostras. Quæ quidem remuneratio, non his quæ aguntur post hanc vitam comparatur,

ratur, ſed iam vitę huius officijs comparata eſt; vt hic quoque intelligendum ſit quod B. Apoſtolus dicit; Deum vnicuique redditurum ſecundum opera ſua: Item quod ſcribit in poſteriore ad Corinthios: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt vnuſquiſquę referat propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Ipſam quippe illam miſericordiam, qua omnimoda fiat peccatorũ abolitio, plenáque remiſſio, recipiet quiſque ſecundum ea quæ geſſit in corpore ſuo; non ſecundum ea quæ illic geſturus eſt. Ideóque ſic erit miſericordia, vt tamen ad iuſtitiæ pertineat retributionem, ipſa quæ illic fiet remiſſio peccatorum: quemadmodum B. Auguſtinus eam rem explicauit in libro de correptione & gratia, capite 13. his verbis: Numerus ergo ſanctorum, inquit, per Dei gratiam Dei regno prædeſtinatus, donata ſibi etiam vſque in finem perſeuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam ſine fine beatiſſimus ſeruabitur, adhærente ſibi miſericordia ſaluatoris ſui, ſiue cum conuertuntur, ſiue cum præliantur, ſiue cum coronantur. Nam & tunc eſſe illis Dei miſericordiam neceſſariam, ſancta ſcriptura teſtatur, vbi ſanctus Dauid de Domino Deo ſuo dicit animæ ſuæ: Qui coronat te in miſeratione & miſericordia. Dicit etiam Iacobus Apoſtolus; Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam: vbi oſtẽdit etiam in illo iudicio in quo iuſti coronantur, iniuſtiq;

Rom. 2.
Cap. 5.
Pſal. 102.
Cap. 2.

damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia iudicandos. Propter quod etiam
2. Mach. 7. mater Machabæorum filio suo dicit: Vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.
Prouer. 20 Cùm enim rex iustus, sicut scriptum est, sederit in throno, non aduersabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Ac per hoc etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua fiet beatus cui non imputauit Dominus peccatum: sed tunc pro bonorum operum meritis, iusto iudicio etiam ipsa misericordia tribuetur. Cùm enim dicitur:
Iacob. 2. Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, manifestatur in his in quibus inueniuntur bona opera misericordiæ, iudicium cum misericordia fieri, ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operũ reddi. Hactenus D. Augustinus, perspicuè docens, misericordiam qua in illo iudicio iustis quædam peccata remittentur, ad futuri sæculi retributionem iustam pertinere. Iam & ipsa quoque futuri sæculi bipartita damnatio est: Alia æterna; alia temporaria. Neque enim sine aliqua damnatione quisquã per iudicis sententiam pœnæ vel tẽporariæ destinatur, quando & reos hîc damnari dicimus, vel ad metalla, vel ad carceres, vel alia supplicia etiã finienda. Idcirco B. Augustinus; Preces & sacrificia aliaq; of-
Enchiridij cap. 110 ficia misericordiæ, quæ pro defunctorũ animis fiunt hîc à fidelibus, ad id prodesse dicit quibus pro-

proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio. Neque enim in ijs verbis, Auguſtinus æternam reproborum damnationem intelligit, pro quibus ſciebat in Eccleſia non orari, haud magis quam pro dæmonibus; ſed temporariam quarundam animarum, quæ in hac vita non ea ſibi merita parauerant, vt ad plenam condonationem poſſent eis à corpore diuulſis, ſuffragia prodeſſe viuorum. Ex his, opinor, perſpici poteſt, quam nihil nobis metuendum ſit quod dicit Auguſtinus, in futuro nihil aliud fore quam remunerationem aut condemnationem. Amplectimur enim hoc, veriſſimeq́ue dici cẽſemus; quia & ipſa quæ illic fit peccati remiſſio, remuneratio eſt; & temporaria ipſa pœna, damnatio. Quod autẽ additur, ſolum hic peccata ſolui & ligari, ad clauium Eccleſiæ pertinet vſum, quo pœnitentibus & delicta ſua confitentibus, abſolutio per ſacerdotẽ impenditur, id quod procul dubio vitæ huius eſt, non futuræ. Neque enim in futuro pœnitentia ſuſcipitur, aut confeſſio fit ad conſequendam abſolutionem miniſterio clauium: ſed hoc neceſſe eſt in iſta vita præceſſerit, (niſi id forte anguſtia temporis excluſum eſt) vt ſperari ſalus poſſit in futura. Cùm igitur author ille (neque enim Auguſtinus eſt) contra Nouatianum diſputaret, negantem eum qui in idololatriæ crimen eſſet prolapſus, poſſe per claues Eccleſię reconciliari Deo, & vtilem agere hîc pœnitentiam; argu-

mentatur hunc in modum. Constat ex scripturis etiam idololatram posse per pœnitentiam recuperare salutem, ergo debet ei in hac vita prodesse ad remissionem pœnitentia. Si enim hîc ad reconciliationem non prosit, in futuro sæculo non proderit, vbi non est tempus impetrandæ vel emerendæ reconciliationis, sed duntaxat remunerationis & damnationis. Quamobrem si concedendum est vtiliter agi posse de quantocunque crimine pœnitentiam, vt videlicet absolutio consequatur, redeaturque in pristinum iustitiæ & gratiæ statum, profectò necesse est hîc illa agatur, vbi prodesse possit; quæ hîc prætermissa, in futuro prodesse non poterit, quia nec illic à quoquam veraciter agetur. Sic autem se habent verba quæ leguntur in quæstionibus ex vtroq; testamento mixtim positis: Ecce, inquit, quantus profectus est pœnitentiæ. Sed fortè dicatur econtra. Concessa quidem est, sed non de crimine idololatriç: quamuis enim grauia sint, maius est tamen crimen idololatriæ. Rectè tamē explosa est non ex modica parte Nouatiani assertio, qua duo crimina grauia concessa pœnitentiæ videntur; Quia si fornicationi ignosci non debet, sicut Nouatiano videtur, quãto magis homicidio aut adulterio? Sed hinc vanitas eius apparet, quandò hæc quæ grauia sunt, concessa probantur. Quamobrem nũc an idololatris concedi posse promiserit Deus requirendum est. Omne enim quod iure hic concessum non fuerit, nec in fu-

Quæst. 102. inter prin-cipium & medium.

turum

turum poterit concedi. Hic enim ſicut dixit Dominus, aut ligantur, aut ſoluuntur peccata: In futuro autem, nihil aliud erit, niſi remuneratio aut condemnatio. Omnis enim qui hic iure reprobatur, non poterit eligi, aut dignus in futurum iudicari. Sic ille. Quid autem luculentius, quam ibi nō eſſe ſermonem de iuſto homine & reconciliato, quaſi non poſſit is poſt mortem, pleniorem veniam conſequi, ſed de idololatra & impio? qui ſi per pœnitentiam hic non ſit à tanto crimine abſolutus, poſt mortem non ſit reconciliationem impetraturus. De iuſtis verò hominibus, ſi Diuus Auguſtinus id perſuaſum habuiſſet, nullam poſſe aut potuiſſe vnquam ſolutionem peccatorum fieri poſt hác vitam, non incunctanter diceret, Chriſtum ad inferna deſcendiſſe, propter quorundam ſoluenda vincula peccatorum.

Matth. 16

Lib. 17 de ciuit Dei, cap. 11.

Quæ ſit Fulgentij doctrina, de remiſſione in hoc tantum ſæculo obtinenda.

CAPVT V.

EXtant & apud Diuum Fulgentium ſententiæ ſimiles, quæ imperitis, & non ſatis attentis lectoribus offundunt tenebras. Velut libro 2. de remiſſione peccatorum cap. 20, Hinc eſt, inquit, quod beato Petro, hoc eſt, Eccleſiæ ſuæ, in terra ligandi ſoluendique tribuat poteſtatem, vt agnoſceremus in tempore huius vitę gratuitam tribui in peccatorū remiſſione miſericor-

ricordiam: in futuro autẽ iustam cunctis mercedem pro factorum qualitate reddendam, nec ambigeremus nũc omnia posse peccata dimitti, & nunc quæcunq; non fuerint dimissa, tunc exigi. Et cap. 21. Præsentis, inquit, sæculi tẽpus, misericors Dominus & iustus solũ remissionis beneficio deputauit, futurum verò iustæ retributioni seruat, quo vnusquisque pro qualitate credulitatis & operis, condigna, sed non finienda, recipiat. Et capite 4. eiusdem: Illud eternim tempus, non erit remissionis sed retributionis, nec indulgentiæ sed vindictæ. Estque in ijs libris hũc Fulgentio propositum, vt doceat remissionem peccatorum, post hanc vitam nemini dari, cui hîc data non sit. Verum quid intelligat nomine remissionis peccatorum, diligenter intuendum est. Sicut enim iustificationem, docendi gratia, facimus duplicem; vt alia sit prima qua remouetur iniustitia, alia secunda qua iustitia augetur & perficitur, de qua
Apoca. 22. videlicet scriptum est: Qui iustus est, iustificetur
Ioan. 13. adhuc. Et iterum: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. Quibus verbis insinuatur prima quædam lotio seu iustificatio, quæ lauacro regenerationis efficitur, quaque ipsum in primis lauatur caput; Secunda, qua quotidie pedes repurgantur à puluere sæculari. Vnde & Augustinus primam libertatem dicit carere criminibus: secundam significans eam qua ipsa quoque venialia, suppressis concupiscentiæ motibus, minuuntur à proficientibus atque à

per-

perfectis penitus abstergũtur. Sic remissio peccatorum prima quædam est, qua reconciliatur inimicus; alia secunda, qua perficitur ipsa propitiatio, quaque indies etiam amicis quotidiana peccata donantur, quam vtique petunt filij Dei, qui Deum patrem appellant suum; cum precantur; Dimitte nobis debita nostra. Neque enim iniustus erat Apostolus, aut de solis loquebatur iniustis cùm diceret: In multis offendimus omnes. Neque B. Ioannes in epistola sua prima iustos volebat exceptos esse cum scriberet: Si dixerimus quia peccatum non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quocirca remissio de qua subiungitur: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate; proculdubio ea remissio est, qua & iustis & cum Christo societatem habentibus pijs sanctisque hominibus, aut prius remissa plenius donantur, aut quotidie admissa remittuntur ea sine quibus difficillimum est conuersationem, quamlibet sanctam & castam, inueniri. Ideoque & B. Iacobus in epistola, de iusto loquens infirmo & vngendo, ipsiusque vnctionis & orationis fructum ostendens; Si in peccatis, inquit, sit, remittentur ei. Et Dauid post translatum ab eo peccatum, Dele, inquit, iniquitatem meam. Et Diuus Hieronymus, Petrum qui tamẽ ob hoc ipsum amare iam fleuerat, scribit trinam negationem trina confessione deleuisse. Consti-

Matth 6. *Iacobi 3.* *Cap. 1.* *Cap. 5.* *Psalm. 50.* *Ad Oceanũ de vita Fabiola.*

tuendum est igitur, non solum iniusto homini ad hoc peccata remitti, vt iustus fiat, de qua re-
Psalm. 31. missione dictum est in Psalmis (quod & Pau-
Rom. 4. lus citat) Beati quorum remissæ sunt iniquitates: verum etiam iusto, & bene laudabiliterque viuenti, vt euadat iustior, pleniusque mundetur ab omni iniquitate. Sed sicuti est vsitatius, vt iustificari dicamus hominem cum fit iustus ex iniusto, promptiusque & familiarius primã iustificationem eo verbo cum nihil additum est accipimus: sic etiam cum remissionem peccatorum dixit Fulgentius, in hac duntaxat vita dari, eam intellexit, pro loquendi consuetudine, qua reconciliatur iniquus, & qua peccator in gratiam atque amicitiam cum Deo recipitur. Hoc vt dubium non sit, eius verba ce-
Capite 4. leriter efficient. Ait enim sic: Non de re par-
libri 1. ua disserimus, nec vile aliquid quærimus, cum de remissione peccatorum, quantum diuina largitas adiuuat, disputamus. Per hanc enim de potestate tenebrarum eripiuntur, quos Deus
Coloss. 1. transferet in regnum filij dilectionis suæ; Per hanc liberantur ab æterna pœna, vt potiantur æterna lætitia: Per illam deponitur onus, seu quod natiuitas vitiosa attraxit, seu quod iniquitas vitiosę iuuentutis adiecit: Per ipsam gratis iustificatur impius, vt reputetur fides eius ad iustitiam: Per illam caret mala vita qua fuerat implicatus, & accipit gratis bonam qua fuit indignus. Per remissionem peccatorum gratis homines discernuntur ab illis qui cruciabun-

tur

tur in æternum cum diabolo, & adiunguntur his qui sine fine regnabunt cum Christo. Hæc eo loco; Et ideo cum dixisset capite 6. libri 2. Illud etenim tempus non erit remissionis, sed retributionis; continuò secutus adiunxit. Non ibi misericordia iustificabit impium: sed iustitia discernet iustum & impium. Et alia eodem pertinentia. Ac rursum postquam dixisset capite 21. ea quæ supra commemorauimus, subnexuit quæ sequenti capite continentur. Proinde, inquit, nunc omnis iniquus intra Ecclesiam positus, malam conuersationem respuat, & bonæ vitæ cursum festinet arripere; vt ad æternam vitam valeat peruenire: Nunc omnis impius prauam fidei sententiam deponat, & ad Ecclesiam venire non differat. Nunc sibi omnis homo dexteræ partis comparet meritum, si non vult sinistræ partis perferre tormentum: Et alia, in eam prorsus sententiã, vt nihil aliud significauerit, quam conuersioni & iustificationi primæ nullum esse in futura vita locum: & ideo quæcunque hic dimissa non fuerint misericordia primæ huius iustificationis, & piæ, vt loquitur, remissionis, quæ bonos ex malis faciat, in futuro exigi, suppliciisque non finiendis puniri: eam ob causam precari Dauidem, atque istam quę peccatorem iustificat remissionem hic petere, cùm dicit: Remitte mihi vt refrigerer, priusquàm eam & amplius non ero. Quod beatus Propheta non tam solicitè, inquit, postularet ante præsentis vitæ terminum

Ca. 10. li. 2

Psalm. 38.

ſibi dari, ſi ſciret poſt hanc vitam vel cuiquam profuturam pœnitētiam, vel remiſſionem peccatorum tunc pœnitentiam agentibus diuino munere concedendam. Hæc capite 20. libri ſecundi. Quod autem ea quæ hîc remiſſa eſſent mortalia peccata quo ad reatum æternæ damnationis, non dubitauerit Fulgentius in futuro ſæculo plenius poſſe remitti, illa ejus inſinuat

Libro 1. cap 24. oratio qua vſus eſt, diſſoluens argumentum quod obijciebatur ex verbis Euangelij, de pec-

Matth. 12. cato in Spiritum ſanctum, quod neque hîc, neque in futuro ſæculo remitti diceretur. Hoc enim verbo inquit, Dominus & ſaluator noſter non aliqua peccata inſinuauit in futuro ſæculo dimittenda, quæ in hoc ſæculo dimiſſa nō fuerint; ſed bene intelligentibus oſtendit, non alia ſed illa tantū (mortalia videlicet de quibus loquitur) in futuro ſæculo dimittēda, quæ in hoc ſęculo, in vna & vera Eccleſia Catholica fuerint vnicuiq; dimiſſa: Soli enim illi Dominus ligā-

Matth. 16 di, ſoluendiq; tribuit poteſtatē dicēs: Tibi dabo claues regni cælorū. Et hactenus quidē de Fulgentij doctrina, prout eam nobis ſuis literis explicatam reliquit, quam profectò exiſtimādum non eſt, ab ipſius viua voce diſcrepaſſe, qui cum per ſeptuaginta propè dies, graui morbo fatigaretur, id ſolum frequenter dicebat; Domine, da mihi modo hîc patientiam, poſtea indulgētiam: ſatis id declarans, non hic modò remiſſionem peccatorum dari, verum etiam poſt hanc vitam rectè à pijs talem expectari.

Non

Non esse statuendum, bonos omnes continuò transire ad vitam beatam.

CAP. VI.

NVnc ad Aretium redeamus, videamusque ex scripturis, Veterumque testimonijs prauè intellectis, quid obijciat.

Statuamus ergo, inquit, *bonos hinc transire ad vitam æternam; malos contra ad damnationem æternam: nec esse vllum locum pœnitentiæ, postquam semel mortui fuerimus.*

Quasi verò dubitemus, Areti, quin sint hæc vti exprimuntur verissima. Sed sic arbitror dicere maluisti, vt opinionem induceres, qua existimaretur à tuis, nos aliter sentire; & vel bonos, negare hinc transituros ad vitam, vel asserere pœnitentiam frugiferam agi posse post mortem. Quid autem de pœnitentia quæ post hanc vitam agi possit sentiamus, credo te ex ijs quæ supra dicta sunt, & ex beati Fulgentij clarissima in hoc argumento doctrina, posse facillimè percipere. Ad quem etiam Bernardus accedat, qui in libello sententiarum suarum, breuissimè docet triplicem esse animæ statum. Vnum in corpore; secundum posito corpore; tertium recepto corpore: Primum datum esse ad agendam pœnitentiam; reliquos duos ad habendam requiem vel pœnam: Porrò ad agendam pœnitētiam requiri tria, Tempus, corpus, & locum: Tempus huius vitæ, quia hoc tempus acceptabile: Corpus ad patiendum pro de-

lictis commiſſis: Locum Eccleſiæ, quia qui extra Eccleſiam ſint, ſic videlicet vt ne animo quidem ſint intus, ij frugiferam pœnitentiam agere non poſſunt. Ad vitam verò hinc tranſire bonos non negamus: ſed, quod tu vis intelligi, omnes omnino bonos & iuſtos, nullis pœnis quenquam remorantibus, continuò tranſire ad vitam beatam, id verò eſt quod pernegamus. Sunt enim boni quidem multi, & iuſti & amici Dei: ſed qui ſicut cùm viuerent, habebant plerunque aliquid temporarijs pœnis dignum atque purgandum; Ita etiam hinc morte decedentes, tale quippiam ſecū deferre potuerunt, quod poſt hanc vitam purgari eſſet neceſſe. Vna enim hæc ratio eſt, propter quam non ſit conſequens, vt ſi bonus hinc quiſquam emigret, beata continuò vita potiatur. Bonus enim eſt, quia Deum ſic amet, vt ei nihil in ſua dilectione præponat; ſed, vt ſe habet infirmitas humana, & languor quidam, cui non feruentiſſima charitate, & promptiſſima vigilantia reſiſtitur, carnalibus affectibus tenetur adhuc multis implicatus: qui vt ſecundum virtutis rationem iure improbantur, correctionemque deſiderant; ita etiam permanentes & neglecti, meritò puniuntur; ſed temporarijs flagellis, non æternis; quod ijs venialiter duntaxat delinquitur, non iuſtitia euertitur. Quales ſunt, verbi gratia, coniugatorum affectus eorum, de
1. Cor. 7. quibus Paulus ait, quod cogitent quæ mundi ſunt, quomodo placeat alter alteri, & ea cupiditate

ditate distractiones crebras ab ijs quæ Domini sunt, patiuntur. Neque enim eum vitæ statum in quo hęc insunt, malum & damnabilem esse, voluit significare beatus Apostolus, sed ad aliũ tanquam meliorem purioremque adhortari, in quo facultas inesset liberius seruiendi omnium Domino. Boni ergo illi quidem homines sunt, vereque iusti, qui eum vitæ statum sequuntur: sed ita iusti vt sine peccato plerique non viuãt, non eo solum quod raptim quasi perstringat, celeriterque præteruolet, qualia sunt etiam in hac mortali vita perfectorum; sed eo planè qui tenaciter inhæreat insideatque penitus, vt nec magnis ægritudinibus, alijsque flagellis reuellatur. Habent ergo isti in fundamento Christum, quem sic non haberent, nisi eum affectu cordis, temporarijs omnibus bonis anteponerent: ita vt si conditio proponeretur, aut illa bona, aut Christum amittendum esse, citius, quam hunc negando, aut crimen aliquod perpetrando perderent, illis se carere paterentur. Quippè in ædificio, inquit Augustinus, nihil præponitur fundamento. Benè proindè his in fundamento Christus est, qui ei nihil in vllo genere rerum anteponunt. At cum sic teneant Christum in corde per veram in eum charitatem, superædificant tamen ligna, fœnum, stipulam ignis videlicet pabulum, & ea quæ tanquam non aptè suo fundamento congruentia, corrumpi, exurique mereantur. Superædificari autem intelligenda sunt, non quæ veloci- *Lib. 21. de ciuit. Dei. c. 26.*

ter

ter transeunt, & charitatis ardore celeriter absumuntur, aut pœnitentiæ lachrymis promptè absterguntur; sed ea propriè quæ permanent, fixaque cohærent, vt ex his ædificium quasi quoddam extrui & constare videatur. Ac ligna quidem affectus sunt vitiosiores, magisque tenaces & permanentes, aut humani erroris imprudentiæ, in quibus interdum, etiam ij qui inter prouectiores numerantur, sibi tanquam rectè iudicantes applaudunt, seque corrigi nō oportere censent. Cuiusmodi peccata vel cupiditatum vel ignorationū, si in hac vita flagellantur in iustis hominibus, varijs sepenumerò temporalium commodorum detrimentis, vt isto modo tāquam scoria ab auro detracta purgatiores euadant ij quibus inhærebant; quid mirandum est tale quiddam euenire post hanc vitam, cum illic præsertim iudicij dies sit atque examinis? Nam tales affectus atque errorum culpas, quas inter grauissimas & longissimas ægritudines cernimus perdurare, vnde quæso diuinauerimus in morte ipsa & extirpari radicitus, & plena obliuione aboleri? Ac scio quidem hos veram negare iustitiam solere, quę non sit perfecta, ipsaque venialia peccata quæ vocamus, affirmare veram iustitiæ rationem excludere; sed hoc vt libet teneant, ad rem enim non admodum pertinet: satis est, si iustos esse concedant eos qui eiusmodi vitiosis laborent affectibus, in ijsque interim viuant. Si iusti sunt, meritò ergo iusti propter eiusmodi

peccata temporaliter flagellantur, & si hîc aliquando; ordinariè ergo in futuro, cum eos næuos ante mortem non deposuerint. Non enim dicturos esse credo, manere peccata illa & tamen esse per fidem remissa, ideoque propter ea neminem hîc iustum puniri, sed dúntaxat exerceri. Dici enim absurdius nihil potest, quam vt simul consistant manere, verbi gratia, mentiendi affectum & studium, & tamen idem simul esse remissum. Quomodo enim peccare quisquam potest, nec tamen eum in quem peccetur offendere? Quomodo autem idem esse potest simul in eodem & offensus & placatus? Et si ea quæ leuiora dicuntur peccata, eodem tempore & committuntur & remittuntur, quid impediat, cur non & grauiora? si mendacium, cur non & latrocinium? præsertim cum etiam hoc isti dicere soleant, omne peccatum esse mortale suapte natura: Omne ergo peccatum suapte natura mortale cum sit, si vno remanente nec adhuc per affectum deposito, eius tamen facta remissio est per fidem, nihil est profectò cur non de omnibus alijs, quantumuis suo genere grauioribus peccatis, idipsum dicendum esse videatur: Quod tamen, si absurditate non ferenda diceretur, sequitur vt fateri debeant homines iustos ob sua quotidiana peccata, quæ vulgò venialia nuncupantur, non modò exerceri temporarijs huius vitæ flagellis; verumetiam verè propriéque puniri, idque in hac vita si fiat, ex eadem

dem prorsus caussa multo magis post hanc vitam euenire oportere: Quia, quemadmodum
Matth. 12. scriptum est, etiam de verbo otioso, reddituri sunt homines rationẽ in die iudicij. Quid autem est, reddent rationem? aut quomodo verbi otiosi reddi ratio poterit, cuius si ratio aliqua reddi posset, otiosum non fuisset? Quid igitur aliud significat Dominus quam etiam verba otiosa, quibus difficile est vitã carere iustorum, in iudicium post hanc vitam vocanda esse, exigendamque eorum rationem: quæ quoniam reddi non poterit, ob id pœnã esse subeundam, aut impetrandam remissionis gratiam? Neque enim quenquam dicturum arbitror, aut solos iniustos & impios, verbi otiosi offensam contrahere; aut eos solos ad reddendam rationem cogendos in die iudicij, ait enim; Omne verbum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Qui omne dicit, nullum excipit, siue id à iusto siue ab iniusto profectum sit. Quare sequitur & iustos qui in eius generis culpis ad mortẽ vsque perseuerauerint, in die iudicij rationẽ earum esse reddituros; ac vel propterea puniendos, vel si id hac in vita meruerint, remissionem accepturos. Est & altera ratio, ex qua hoc idem intelligi queat, quonam modo iustus & bonus, aliquas post hanc vitam temporarias pœnas incurrat; quæ quidem ratio, non iam in venialibus tantummodo, sed in mortalibus etiam peccatis spectanda proponitur. Mortalia namque peccata,
quæ

quæ ſacræ literæ crimina vocāt, de quibus pronunciant, qui ea fecerint regnum Dei non eſſe conſecuturos, ſic remitti certum eſt in iuſtificatione peccatoris, vt tamen ſubindè remaneāt ſupplicia temporaria, in flagellis vitæ huius & calamitatibus, de ira Domini ob peccata priora prouenientibus, quæ quidem remiſſa ſunt eatenus, vt ad pœnas non obſint æternas (quæ magna indulgentia Domini eſt) ſed authores tamen ſuos ad temporales afflictiones teneant obſtrictos. Neq; verò obſcura rei huius exempla ſunt, neque procul petenda. Mox occurrit Dauid rex, cuius poſt crimina grauiſſima, nota ſimul fuit pietas, & tamen aduerſa multa & calamitates graues: caſus filiorum, & factiones; exturbatio è domo propria: violationes vxorum; maledicta ſeruorum; mors filij; peſtilentia grauis. Quæ omnia ad vindictam priorum criminum; iam tamen quo ad æternam mortem condonatorum, pertinere ſi quis neget, is nihilo minus agat quam ſi ſacram librorum diuinorum hiſtoriam apertè mentiri fateatur. Propheta quidem Nathan poſteaquam dixiſſet, tranſtuliſſe Dominum à Dauide peccatum ipſius ne moreretur, mox adiunxit; Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc; filius qui natus eſt tibi, morte morietur: quod nihil aliud eſt quam ſi dixiſſet planius: Tu quidē ipſe non morieris, eâq; tibi ex parte (quæ ſanè potiſſima eſt) do veniam; ſed tamen filij tui temporanea

2.Reg.12. & 24.

2.Reg.12.

morte punieris. Sic & de Aaron legitur: Pergat Aaron ad populos suos. Non enim intrabit terram quam dedi filijs Israhel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Excepitque Moysen eadem diuinæ seueritatis sentẽtia; nec ipse quamuis Deo charus, terram promissam ingredi permissus est, ob contractã ad aquas cõtradictionis offensam. Quid etiam illa quæ scribit Apostolus de indignè communicantibus, è quibus propterea imbecilles & ægroti & morte rapiebantur etiam multi? Quid significant nisi peccatum mortiferum sic fuisse remissum, vt non pertraheret in æternam cum mundo seu reprobis damnationem, & tamen morbis & morte temporaria fuisse vindicatum? Cùm enim iudicamur, inquit, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Quid autem iudicari, nisi condemnari ad pœnam? Quæ correptio nisi iudiciaria & pœnalis propter culpam? Mors ergo temporis huius in carnis resolutione, pœna fuit illis peccati remissi quidem, sed ad id tantummodo ne obesset in æternum. Quapropter si diuinæ iustitiæ seueritas, tantam hic criminis admissi rationem habet interdum, vt soluto etiam mortis æternæ reatu, non tamen omninó inultum abire patiatur; quid facere existimanda est in futuro sæculo, quod propriè iudicij est & retributionis? Ac præuenire quidem hic possumus, de nobisipsis supplicium expetentes, nosque ipsos iudicantes, quod relapsorum pœnitentia postulat.

Numer. 20

1. Cor. 11.

Ibidem.

Non

Non enim in Baptiſmo & reconciliationis ſacramento, par eſt indulgentiæ diuinæ facilitas: quod ipſum ſatis oſtendit author ille ſub nomine Auguſtini ſupra citatus, ex libro quæſtionũ, quem ſicut illic Aretius pro ſuo errore facere exiſtimauit, vtinam eum hic pro veritate amplectenda ſequeretur. Ad ſe, inquit, conuerſis credentibus, omnia ſimul peccantibus concedit, nulla interueniente lamentatione pœnitentiæ. Vnde dicit Apoſtolus: Sine pœnitẽtia enim ſunt dona & vocatio Dei. Poſt autem ſi peccauerint, per pœnitentiam poterunt mereri veniam. Et quia poſt acceptam gratuitam miſericordiam peccauerunt, non iam gratis, ſed interueniente gemitu & fletu, poſſunt ad indulgentiam peruenire. In his verbis nomine pœnitentiæ ipſum ſignificauit pœnitentiæ ſacramentum, quod Chriſtus pro relapſis inſtituit: neque enim neſcius fuit aliquam eſſe etiam ante baptiſmum pœnitentiam, quã nomine conuerſionis deſignauit. Non gratis autẽ ad indulgentiam perueniri póſtea dicit, non quia gratuita non ſit illa per Chriſtum iuſtificatio, ſed quia non ſine pœnali ſatisfactione, plena (vt prius) indulgentia ſtatim conferatur. Cypriani quoque totiuſque vetuſtatis eſt doctrina conſimilis, à relapſis requiri lamenta, ſaccos, ieiunia, & alia opera ſatisfactionis, quibus in ſeipſum quiſque animaduertat. Quæ ſi non adhibita hîc ſint pro modo & magnitudine peccatorum, & tamen ſincera cordis ad Deum non defuerit

Quæſt 102. in mixtis.

Roma. 11.

conuersio, mirandum est, si post mortem expectantur, & postea tamen salus æterna speretur? Ergo & hic quosdam inuenimus sic bonos, vt tamen hinc emigrantes, quibusdam excipiantur téporarijs afflictionibus & ærumnis, donec iustitiæ Dei sit satisfactum. Sunt sanè ita boni quidam & iusti, vt liberi statim euolent ad superos, digni per omnia qui societate beata nulla interueniente mora perfruantur: Verú non omnium ista excellentia est; Quin id Tertullianus ex sola martyrij prærogatiua putauit euenire. Nemo enim (inquit) peregrinatus à corpore, statim immoratur penes Dominú, nisi ex martyrij prærogatiua, scilicet paradiso non inferis deuersurus. Hoc ille in eo libro, quem scripsit de Resurrectione carnis, illos etiam sub martyribus compræhendens, qui tanta flagrant charitate, vt eorú magis animo martyrium, quàm animus martyrio desit. Sed his tanto animi robore præditis hominibus, num cæteros omnes quamuis bonos æquabimus? Et si tanta fuerit virtutis in vita disparitas, nullum erit post excessum è vita discrimen? Nullum vos quidem esse vultis, qui præmia etiam omnium paria facitis; qui sola peccatorum remissione omnium iustitiam definitis; qui non solum apud inferos, sed nec in cælo apud patrem plures mansiones agnoscitis; qui tollitis stellarum viuentium in beatæ resurrectionis claritate distantiam. Hic nimirum fons est, vnde emanat illius impuritatis riuulus, quo iustos omnes Apostolis etiam

ipsis coæquatis; vnde sibi apud Deum vel extremæ horæ tenuis post flagitiosam vitam conuersio, tantum vendicat, quantum innocentia longissimæ & præclarè actæ vitæ. At aliter cum Tertulliano Cyprianus, cuius luculenta oratio est libro 4. epistolarum, epistola 2. quæ scripta est ad Antonianum: Floret, inquit, Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat:nec quia adultero pœnitentia ac venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. Aliud est ad veniam stare; aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcere nō exire inde donec soluat nouissimum quadrantem;aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari,& purgari diu igne;aliud peccata omnia passione purgasse:aliud denique pendêre in die iudicij ad sententiam Domini;aliud statim à Domino coronari. Agnouit etiam Augustinus bonorum hanc differentiam,talesque vitæ bonæ gradus, cum agens de ijs operibus quibus Christiani post mortem possint adiuuari & leuari: Est (ait) quidā viuendi modus, nec tam bonus vt non requirat ista post mortē, nec tam malus vt ei non prosint ista post mortē. Et alia quæ sequūtur, Enchiridij cap. 110. Rursum, In his,inquit, qui filij sunt promissionis & vasa misericordiæ,valet quod ait idē Apostolus: Superexaltat autem misericordia iudicium. Quoniam & illi iusti, qui tanta sanctitate vixerunt, vt alios quoque recipiāt in tabernacula æterna, *Lib 21. de ciuit. Dei: cap. 27.* *Iacob. 2.*

Lucæ 16. quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis, vt tales essent, misericordia liberati sunt ab eo qui iustificat impium, imputans mercedem secundum gratiam, non secundum debitum. In eorum quippe numero est Apostolus
1.Corin.7. qui dicit: Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem. Illi autem qui recipiuntur à talibus in tabernacula æterna, fatendum est quod non sint his moribus præditi, vt eis liberandis sine suffragio sanctorum, sua possit vita sufficere; ac per hoc multo amplius in eis superexaltat misericordia iudicium. Et paulò infra: Est itaque quidam vitæ modus, nec tam malæ, vt his qui eam viuunt, nihil prosit ad capessendum regnum cælorum largitas eleemosynarum, quibus etiam iustorum sustentatur inopia, & fiunt amici, qui in tabernacula æterna suscipiant: nec tam bonæ, vt ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis quos amicos fecerint, misericordiam consequantur. Hæc Augustinus. Quamuis igitur latro ille bonus, magna & singulari quadam charitate ad Christum conuersus, hoc diuinæ clementiæ priuilegio vsus sit, vt statim donatus sit paradisi felicitate: non tamen conuincit hoc, de alijs omnibus bonis ita esse sentiendum, propter illam, quam diximus, in bono differentiam. Sunt enim & pœnitentiæ, & charitatis, & omnino iustitiæ, sicuti & criminum atque delictorum varij admodum gradus: propter quos non solum multæ mansio-

nes

nes ſunt in domo patris cæleſtis, nec ſolum magna claritatis in reſurrectione differentia; verùetiam multa inæqualitas in egreſſu cuiuſque, diſtantiaque multiplex ſuppliciorum. Mali verò propter dominantem in eis iniquitatem, continuò in tenebras deuoluuntur. Quippè iniuſtitia in qua ſunt depræhenſi, bonorum ſi qua per eos facta ſunt, obliuionem inducit. Iuſtitia verò in bonis omnibus præponderans, tranſitum quidem patefacit ad vitam; ſicut ſcriptum eſt; Quia qui verbum meum audit, *Ioann. 5.* & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam: & in iudicium non venit, ſed tranſiet à morte in vitam: verum ita ſæpenumero imperfecta reperitur, vt ſicut non omnem affectionem malam, & amorem ſæculi, ita non omnem afflictionem & pœnam excludat. Et quia malum ex ſingulis oritur defectibus, bonum verò integra conſtat cauſſa; idcirco vnum quidem in quo quis diſcedit crimen, ſtatim damnat; ſed iuſtitia niſi tota ſit, non continuò beat. Cùm autem dicitur; In iudicium non venit, hoc ſignificatum eſt iudicium, de quo poſtea ſubiungitur: Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij, id eſt, æternæ damnationis. Quomodo etiam iudicium accipit Apoſtolus, cùm ait: Qui manducat & bibit in- *1. Cor. 11.* dignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Ac poſt iterum; Vt non in iudicium, inquit, conueniatis. Hoc ergo triſtiſſimæ damnationis iu-

 dicium

dicium effugiunt omnes boni, ideoque ad omnes etiam illud pertinet bonos, quod scriptum
Cap. 14. est in Apocalypsi; Beati qui in Domino moriuntur: Amodo enim iam dicit spiritus, vt requiescāt à laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur eos. Boni siquidem iustique omnes moriuntur in Domino, proptereaque moriuntur benè, quia moriuntur boni. Beati ergo illi, non tantummodo spe, quod sunt etiam in hac mortali vitá, periculorum licet plenissima:
Roma. 8. Spe enim salui facti sumus, inquit Apostolus:
Matth. 15. Et, Beati mites, ait Saluator; beati pauperes spiritu, aliaque plura, quæ propter spem dicuntur, quam illi gerunt qui beati esse pronuntiantur: Sed beati sunt peculiariter ab ipsa continuò morte; quia vel sunt adepti quod sperabant, vel omni cadendi periculo liberati, id se consecuturos esse exploratum habent. Si enim spes vitæ huius cum magno coniuncta metu excidendi, facit vt sancti beati appellentur, multo profectò magis propter ipsam securitatem beati poterunt æstimari, etiam si ad tempus quibusdam crucientur afflictionibus. Requiescunt autem à laboribus suis, quibus in hac vita sudarunt; contra diabolum, carnem, & mundum periculosa militia decertantes. Sunt enim hi sanctorum labores proprij; quibus cum timore & tremore suam salutem ope-
Lib. 22 de ciuit Dei, cap. 23. rantur: De quibus vitæ huius malis D. Augustinus ita scriptum reliquit: Præter mala, inquit, huius vitæ, bonis malisque communia,
habent

habent in ea iusti etiam proprios quosdam labores suos, quibus aduersus vitia militant, & in talium prœliorum tentationibus periculisq; versantur. Aliquando enim concitatius, aliquādo remissius, non tamen desinit caro concupiscere aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ volumus faciamus, omnem malam concupiscentiam consumendo, sed eam nobis quantum diuinitus adiuti possumus non ei consentiendo subdamus, vigilijs continuis excubantes; ne opinio verisimilis fallat; ne decipiat sermo versutus; ne se tenebræ alicuius erroris offundant, ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur; ne ab his quæ agenda sunt metus reuocet, ne in ea quæ agenda non sunt cupido præcipitet: ne super iracundiam sol occidat; ne inimicitiæ prouocent ad retributionem mali pro malo; ne absorbeat inhonesta vel immoderata tristitia; ne impartiendorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem; ne maledicis rumoribus bona cōsciētia fatigetur; ne temeraria de alio suspicio nostra decipiat, ne aliena de nobis falsa nos frangat; ne regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius; ne exhibeantur membra nostra arma peccato; ne oculus sequatur concupiscentiam; ne vindicandi cupiditas vincat; ne in eo quod malè delectat vel visio, vel cogitatio, temoretur; ne improbum aut indecens verbum libenter audiatur;

ne fiat quod non licet etiam si libet; ne in hoc bello laborum periculorumque plenissimo, vel de viribus nostris speretur faciẽda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur, sed eius gratiæ de quo ait Apostolus; Gratias autẽ Deo qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christũ. Sic Augustinus de laboribus sanctorum proprijs, quibus perfuncti, post mortem in magna securitate acquiescunt: & eis tamen adhuc ab Ecclesia requies petitur, donec eius sint plenitudinem assecuti: quæ tum contingit, cum per claram diuinitatis contemplationem datur summo bono perfrui, ipsumque possidere. Tunc enim omnia desideria expleta & satiata; velut in suo fine, & loco naturali conquiescunt. Hæc autem propterea post mortem eueniunt bonis, quia opera ipsorum sequuntur illos. Reddunt igitur bonos, opera iustitiæ, in quibus se hic laboriosè exercuerunt, beatos; sicuti mala, miseros. Vnum his addam, beatum Augustinum interpretari locum illum totum de martyrum animabus; in quas hæc peculiarius excellentiúsque competunt. Ideo, inquit, tantùmmodo martyrum animas commemorauit, quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui vsque ad mortem pro veritate certarunt. Sed à parte totum, inquit, etiam cæteros mortuos intelligimus, pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Christi. Rectè etiam D. Cyrillus docet animas sanctorum neque vagari in terris donec sepulturæ honoribus affectæ sint,

[Marginal notes: 1. Cor. 15. (beside "de quo ait Apostolus"); Lib. 20 de ciuit Dei, cap. 9. (beside "Augustinum interpretari"); Lib. 12 in Ioã. ca. 36 (beside "est regnum Christi")]

neque vt peccatorum animas deferri ad immensi cruciatus locum, id est, ad inferos, sed in manus patris euolare, vitamque sortiri cum Christo perpetuam; quemadmodum Paulus significat, cùm ait, cupere se resolui & esse cum Christo. Euolant enim omnes in manus patris, quia statim eas in suam tutelam protectionemq; recipit, malignos arcens spiritus ne cõturbent, aut aliorsum quam meritæ sint rapiãt, iuxta id quod scriptum est apud Sapientem: Iustorum animę in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace. Magna enim pax, vbi tentatione remota, nullus cadendi metus, nullũm amittendæ iustitiæ periculum: Ideo enim raptus est iustus, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius. Hic enim fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malicia. Vitam quoque quam hæc sit meliorem, & cum Christo perpetuam, certum est habituras esse iustorum animas, vel mox resolutis corporibus si nihil impediat; vel certè, non multò post.

Philipp. 1.
Cap. 3.
Sapien. 4.

Tertia descriptio, contra Aretij obiecta defenditur. CAP. VII.

TErtia, inquit, *definitio perniciosa est, quia culpam hic solum remitti affirmat, pœnas autem elui in Purgatorio. Sic autem meritum*

Christi

Christi imperfectum est: & Deus cùm peccatorem recipit in gratiam, non solum culpam sed & pœnam remittit. Contra, illi, culpam condonari, sed pœnas soluendas in Purgatorio. Accedit illud, quod ne ipsi quidem in hac doctrina persistunt. Nam vtvt dicant pœnas in Pugatorio tantum deleri, tamen affirmant satisfactionem Purgatorij interdum valere etiam contra peccata mortalia: Quæ omnia euacuant Christi meritum.

Hactenus ille.

Obsecro, Areti, quî tibi potuit hoc videri consequens, vt si Purgatorium esse statueretur pœna grauissima, minor tamen quam infernalis, (id quod habet secunda purgatorij notatio) propterea diceretur hic tantummodo culpam non pœnam remitti, aut etiam pœnam dilui in purgatorio? Qui enim purgatorium dicit esse pœnam, is de eius remissione & dilutione dicit omnino nihil, possetque consistere, vt esset in purgatorio pœna, & eius tamen nulla fieret per Dei misericordiam diminutio, aut remissio, sed tota pro peccatorum meritis exigeretur, donec esset iustitię rigori satisfactum. Nam iusto quidem non potest æterna pœna deberi, ne fraudetur præmio iustitiæ; sed potest interim temporaria, quam meritus est pœna, post hanc vitam seuerè & sine aliqua remissione deposci. Quod si intelligit remitti hîc culpam, sed pro pœnæ remissione illam in purgatorio pœnam sustineri, quid fingit, quod nemini Catholico vnquam in mentē venit? Neque enim pro di-

luenda pœna ille in purgatorio cruciatus irrogatur, quasi sit illic pro pœna satisfactio, cum ipsa sit pœna quæ propriè rependitur peccato. Non ergo in purgatorio propterea ponitur aliqua pœnæ dilutio, quia ponitur pœna. Neque enim seipsam pœna diluit: quamuis tolerata & suscepta à reo, si temporanea sit, dici possit reatum diluere quodam modo. Desinit enim esse reus pœnæ, postquam eam ad iustitiæ rigorem exoluit. At in hac vita per eam pœnam quę studio satisfaciendi vltrò suscipitur, futuri sæculi diluitur pœna. Ad hoc enim sustinetur hic, vt ibi nulla, vel certè leuior multo supersit, grauius enim est incõparabiliter illic puniri, quam hîc. Quod si in hoc mundo condigna subitur satisfactio, quæ diuina æstimatione pro futuri sæculi ærumna sufficiat, aut quę tanquam sufficiens misericorditer acceptetur, tũ hic non culpa solum remittitur, verum etiam pœna. Neque alia ratio est quamobrem cum per sacerdotem quisque absoluitur, non accipiat plenã remissionem quoad culpam & pœnam, quàm quia non expleuerit omnia, quæ ad huius perfectionem pœnitentiæ desiderantur, cum sit plerunque frigida & perexigua satisfactio: In qua si esset, vt erat olim studium ardentius, non æternæ modo pœnæ, seu gehennæ reatus solueretur; verum etiam, omnis aut penè omnis aboleretur purgatorij supplicij obligatio. Nec verò insufficiens est Christi meritum, quia remissa per iustificationem culpa, plerunque post mortem

pœna

pœna aliqua luenda relinquitur; ſed cùm ſit ſufficientiſſimum ad plenam remiſſionem conſequēdam, nos vitio noſtro fructum plenæ indulgentię ex eo percipere negligimus. Eſt enim ille quidem fons patens in ablutionem peccatoris & mēſtruatæ, qui ad omnes omnium ſordes perfectè eluendas cumulatiſſimè ſufficiat; id quod declarat multorum ſanctorum, & inprimis beatorum martyrum perfecta etiam ante mortem purgatio: ſed ſicuti quod multi interim alij ſuis in ſordibus computreſcant & pereant, non arguit meriti & fontis imperfectionem; ita ex eo colligi imperfectio atque imbecillitas meriti nulla poteſt, quod quibuſdam non plena donetur remiſſio peccatorum. Non enim imperfecta purgatio eſt ex eo quod fons perfectè purgare non potuit, ſed ex eo quod ij qui purgandi veniebant, id agere noluerint, vt ex eo perfectè purgarentur. Nec propterea parum accipitur, quia dari nō potuerit multū, ſed quia vaſculum quod affertur, propter anguſtiā ſui, capere multum non poſſit. An eſt imperfecta etiam Dei bonitas aut potentia, quia tam multi exitio pereant ſempiterno? Minimè inquis; ſua enim quiſque perit culpa & voluntate, non imbecillitate Dei, aut miſericordiæ defectu. Cur ergo inquam, quod hic tam commodè reſpondetur, non illò quoque transferunt, vt propoſitæ rationis latiùs pateat vtilitas? perfectum eſſe videlicet meritum Chriſti; ſed languorem noſtrum impedimento eſſe,

quo minus ex eo pleniſſimè hauriamus. Aut mihi alioqui reſpondeant, cum ſit perfectum Chriſti meritum, cur adhuc, vti volunt, in peccatis noſtris ſimus? Cur nō veritate iuſtitiæ, ſed ſola reputatione iuſti cenſeamur? Cur peccet iuſtus etiā mortaliter in ſingulis operibus? cur maneat in baptizato concupiſcentia, veri proprijque nominis peccatum? Quam præpoſterum eſt, vt ſeipſos non videant propter hæc facere Chriſti meritum imperfectum; nos accuſent tanquam id faciamus, quia hominem minus pro ſua ſalute vigilantem atque ſolicitum, negemus plenam ſtatim accipere remiſſionem peccatorum? Quod autem additur, Deum cum peccatorem recipit in gratiam, non ſolum culpam, ſed etiam pœnam remittere, id falſum eſſe ſupra Dauidis exemplo & Corinthiorum oſtendimus. Nam his quidem Corinthijs, niſi culpa fuiſſet remiſſa, hoc eſt, niſi per iuſtificationis gratiam ſolutus fuiſſet ante mortem damnationis æternæ reatus, fuerant plane cum hoc mundo damnandi: & tamen hoc ſoluto reatu, mors temporaria, citius quam alioqui ventura fuiſſet, in vindictam peccati ſequebatur. Poſſumus & paruulos eis obijcere, quibus remiſſa per baptiſmū culpa, pleniſſimè quidem quoad futuri ſæculi pœnas, ita vt nihil eos emigrātes hinc, ab ingreſſu cęli remoretur, reſtat tamen mors ſæculi huius, pœna indubiè permoleſta, ex antiqua iudicis ſententia proueniens: Quacunque die comederis, morte Geneſ. 2.

Genes. 3. morieris: Ac rursum; Puluis es & in puluerem reuerteris. Hanc enim quotidie sententiam suam Dominus exequitur in grandibus & paruulis. Vnde scire possumus mortem hanc, quæ in resolutione carnis est, pœnam esse peccati: quam quia Dominus pro nobis suscipere dignatus est, propterea peccata ipse nostra dicitur in sua carne portasse. Nam quod hic ad exercitium confugiunt, propter quod vitæ huius ærumnas & mortem dicant iustis esse relictas, id profectò locum nullum habet in paruulis, quos tantis quibus premuntur sæpè malis, nemo exerceri dicat, nisi qui benè de rebus iudicando, parum ipse se exercuit. Idcirco beatus Augustinus de morte & cõmunibus vitę huius *Tract. 124 in Ioannē.* ærumnis loquens, Temporaliter (inquit) hominem detinet pœna, quem iam ad sempiternam mortem non detinet culpa. Ac Dauidem quidem ipsum non totam statim veniam consecutum esse, præter scripturas, Veteres annotauerunt: Ambrosius in psalmum 37. Qui pœnitentiam, inquit, agit, offerre se debet ad pœnam, vt hic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna seruetur; nec expectare tempus, sed occurrere diuinæ indignationi. Vide facta Dauid eius precibus conuenire: Offenderat Dominum, quia numerari iusserat populum; confessione præuenit Dei nuntium; peccasse se valdè, & nimis stultè fecisse commemorans. Et infra: Non ergo penitus sibi peccatum remitti postulat, sed moderata solutione deleri;

hoc

hoc eſt, vt in futurum eius memoria deleatur. Docet his verbis Ambroſius quod dicimus, remiſſionem quandoque dari non plenam, ſeu non penitus remitti peccatum; ſed ita vt relictis vitæ huius ſupplicijs in futurum eius memoria deleatur, id quod Dauidi accidiſſe ſignificat. Auguſtinus quoque: Ad hoc vnum verbum inquit, peccaui, meruit audire quod accepit veniam: Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem? Neque enim prætermiſſa eſt in illo ſecũdum comminationem flagelli paterni diſciplina, vt & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Quamuis autem B. Auguſtinus probationis meminerit, non tamen conſequens eſt, eum intelligi voluiſſe Dauidem probatum, non punitũ fuiſſe: non enim flagelli paterni ſecundum comminationẽ Dei ſuſcepiſſe diceret diſciplinam, niſi intelligi voluiſſet pœnam, quæ propter commiſſa peccata inferretur. Nemo ſiquidem flagellatur, niſi propter peccata priora. Ipſa quoque Dei comminatio, nõ exercitij, ſed ſupplicij fuit. Veruntamen probationem appellauit Auguſtinus, quod ſic eſſet ſupplicium ſecundum Dei comminationẽ inflictum, vt tamen non tantum ad pœnam irrogaretur, quomodo flagellantur perditi, ſed vlterius hoc ipſum ad probationis vtilitatem referretur.

Libro 22. contra Fauſtũ, ca 67.

At in hac doctrina qua remiſſa hîc culpa pœnam in purgatorio docemus permanere, quomodo, te rogo Areti, non perſiſtimus? videlicet

quia purgatorij satisfactionem affirmamus valere interdum etiam contra peccata mortalia, quæ omnia, inquit, euacuant Christi meritum. Primum, nemo hoc affirmat Catholicus sic vt tu prætẽdis, quasi videlicet hic non remissa peccata mortalia, ibi pœnis purgatorijs dilui possint. Sed dicitur à catholicis mortale peccatum in hac vita remissum, quoad immensos illos gehennæ cruciatus, puniri adhuc temporarijs post hanc vitam supplicijs, penitusq́ue illic expiari, istoque modo non venialia modò peccatá, verumetiam mortalia, quantum ad suas pertinet reliquias, aboleri. Deinde etsi quis id affirmaret, non remissum hîc mortale peccatum, illic satisfactionibus & pœnitentia deleri posse, cur is meritum Christi euacuaret? an quia satisfactionẽ poneret post hanc vitam? sed vt fides, vt charitas, vt sincerus ob peccata dolor tristitiaque secundum Deum, vt laus, vt confessio aliaque bona post hãc vitam, esse possunt & sunt citra iniuriam meriti Christi, quoniam ex merito Christi profluxerint; quamobrem illic quoq; statui satisfactio, nisi euacuata Christi morte, non posset? Nam quod ad euacuandum quidem attinet meritum Christi, nihilo plus euacuaret satisfactio ibi tolerata quam hic suscepta, modò sanguini Christi, vbicunque esset, asscriberetur, vimq́ue suam & efficaciam inde statueretur accipere. Satisfactionem igitur mortalia peccata diluentem quæ hic remissa non sint, non hoc metu remouemus à purgatorio,

torio, quod euacuandum esset meritum Christi: Redimentem enim peccata satisfactionem iuxta id quod scriptũ est, Peccata tua eleemosynis redime, ipsi hic ponimus: nec tamẽ euacuare nos Christi meritũ arbitramur, ex quo omnis nostra satisfactio, visque eius vniuersa promanat. Si enim ne hic quidem vllus est nostræ satisfactioni locus, quia pro nobis Christus plenissimè satisfecit; nec orationi igitur nostræ vllus erit relictus locus, quoniam plenissimè sufficientissimeque pro nobis Christus orauerit, atque etiamnum pro nobis interpellat; nec dubium quin plenè & sufficienter, ad eumq; modum, vt in omnibus exaudiatur pro sua reuerentia. Orare tamen ipsi iubemur & remissionem peccatorum petere, quo sic ad nos Dominicæ intercessionis fructus, deriuetur. Planeque ad eum modum satisfactiones suscipimus laboriosas, vt satisfactionis eius quam in cruce mediator noster obtulit patri, ad plenam peccatorum abolitionem efficiamur participes. Quamuis enim plenè pro nobis satisfecerit atque orauerit, nostrum tamen non in credendo modò, verum etiam orando satisfaciendoque requirit officium: quomodo cum pro nostra æterna salute comparanda abundè passus sit, postulat tamen compatiamur vt conregnemus. Non igitur hoc metu remouemus à purgatorio satisfactionem mortalia diluentem, ne quam merito Christi faciamus iniuriam, si vllam talem satisfactionem introduceremus; quæ tamẽ

Daniel. 4.

exactum pretium non haberet; quod in ſola Chriſti morte poteſt inueniri: ſed propterea, quod hoc ſolum mortalis vitę ſpatium eſſe credamus gratiæ illius primæ & præcipuæ tempus, quo peccator ab errore viæ ſuæ ad Dominum conuertitur, ſolutiſque æternæ mortis vinculis ex inimico amicus, ex iniuſto iuſtus, ex infeliciſſimo peccati & diaboli ſeruo liber efficitur, ea libertate de qua ſcriptũ eſt: Si vos
Ioann. 8. filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Hæc illa eſt à peccati regno & diaboli dominatu libertas, cuius ſpes adipiſcendæ nulla eſt in futuro ſæculo. Sed quæ hîc ſit inchoata libertas per veram iuſtificationem, ſi quis negauerit poſt hanc vitam perfici poſſe, is non ferendo errore aberrat à doctrina ſcripturarum ſanctarum: Quemadmodum enim illic perficietur ex ea parte qua non plenum hîc regnum obtinemus ſuper carnem noſtram, vbi adhuc illa ſuis motibus aduerſus ſpiritum obluctatur, cadendique periculum & metum facit: ita etiam perficietur in multis, ex ea parte qua non plena hic propitiatio, perfectaque admiſſarũ culparum abolitio eſt: omninoque, vt noſtra liberatio duabus agitur rebus, remiſſione peccatorum quæ commiſſa ſunt, & concupiſcentiæ mortificatione, quæ in corpore mortis huius bellum mouet perpetuum; ita prorſus poſt hãc vitam vtraque ex parte abſoluetur perficieturque. Neque enim exiſtimandum eſt promiſſiones gratiæ noui teſtamẽti de perfecta per Chri-
ſtum

ſtum libertate (vbi etiam illud eſt, Et propitius ero omnibus iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum nō recordabor amplius) in hac vita compleri, ſed in futura, vbi illud proprium eſt: Et omnes cognoſcent me à maiore vſque ad minorem, & non dicet vnuſquiſque ad proximũ ſuum; Cognoſce Dominum, vbi excluſo omni defectu, Deus erit omnia in omnibus.

Iſaie 36.

Ierem. 31.

Non eſſe de Purgatorio dubitandum, etiamſi de eius loco nihil definitum ac fide certum habeatur. CAP. VIII.

SVbiungit Aretius de Purgatorij loco: quem vbi incertum effecit, hoc etiam incertum effeciſſe ſe putat, ſitne aliquod purgatoriũ poſt hanc vitam. *Audiamus etiam*, inquit, *vbi tandem collocatum ſit illud Purgatorium. Thomas collocat illud in viſceribus terræ, proximè inferno. Idem alij multi faciunt: Opinor, vt melius curari à malis ſpiritibus poſſit. Alcuinus autem quidam monachus, affirmat in aëre eſſe; & ita diffuſum, vt etiã omnes ſanctiſſimi per id tranſire debeant priuſquam cælos intrent. In qua ſententia magna eſt impietas, nam ipſi etiam martyres eximunt è Purgatorio. Non poteſt igitur illic eſſe: nec oportet ſanctiſſimus illa retia tendere. Sed & de Christo quid dicet Alcuinus? aſcenſurus cælos in illud ne incidit? At* †*peccatoribus eſt conſtructum; quod cum in Christo nulla habeat ne veſtigia quidem, quomodo abſurdum immò*

†alias peccatis

 impium

impium non est, illic transferre Purgatorium? Antoninus & alij nonnulli, de loco dubitant. Et rectè quidem: Ideoq; vocant quoddam Purgatorium extraordinariæ locationis: Nam duplex illi comminiscuntur: aliud commune omnium; aliud extra ordinarium, quod scilicet Deus pro clementia sua designat alijs atque alijs, hinc inde; vt alios in aquis, alios in glacie, alios in igni, quosdam in balneis, alios in stabulis, alios alibi ad certos purgari dies. In horum sententias si inquiras, solas audies apparitiones quibus totum hoc confirmatur: Quare totum hoc suis relinquatur authoribus. Et quia ipsi etiam de loco dubitant, nullum esse sciamus: Non enim res tanta, in tanta hæreret obscuritate. Hactenus ille de purgatorij loco.

Satis declarat Aretius, se propterea de Purgatorij loco dubitationes Catholicorum, aut varias & incertas opiniones inducere, vt iustam efficiat de re ipsa dubitationem, assertionemq; eorum qui id negant plausibiliorem reddat: quasi sit consequens, vt quia de loco incertum sit quid existimari oporteat, de re quoque ipsa, nulla certa sententia habeatur. Atqui res sunt complures, de quibus quin sint, aut fuerint, aut futuræ sint dubitare non liceat, quarum tamen circunstantiæ ignorentur permultæ. Iudicium futurum non dubia tenemus fide, sed quando sit futurum, aut quo in loco ignoramus. Paradisum initio quo in loco plantauerit Dominus, quaq; in parte orbis terrarum, non vna

etiam

etiam eruditorum, ſententia eſt, an idcirco plantatam à principio paradiſum neſciemus? Euangeliſtas inter ſe,& omnes omnino diuinæ ſcripturæ libros, ſumma conſentire concordia extra controuerſiam eſt: attamen quanta eſt interim compluribus in locis de cōciliandi ratione & modo ambiguitas? Dicat ergo hic etiam Aretius: Quia quomodo conciliari debeant ipſi dubitant, nos concordes eſſe neſciamus. Addam his, quod eſt vicinius, de inferno damnatorum, quem eſſe vſpiam nemo in dubium vocat qui velit haberi Chriſtianus; ſed vbi ſit, in terra, ſub terra, an ſuper terram, ea de re nihil habetur fide fixum aut certa notitia compræhenſum. Ideoque D. Gregorius in ſuis Dialogis percunctanti Petro, ſuper terram hāc eſſet infernus, an ſub terra, ita reſpondit vt definiendi caueret temeritatem. Nonnulli namque vt ait, in quadam terrarū parte infernum eſſe exiſtimauerunt: alij verò hunc ſub terra eſſe æſtimant: Ac verbis conſequentibus nihil obſtare dicit, quo minus ſub terra infernus eſſe credatur. Cur ergo hic Areti non dicis: Et quia ipſi de loco inferni dubitant, nos nullum eſſe ſciamus? Vbi adiungis: Non enim res tanta in tanta hæreret obſcuritate; in rebus magnis quid eſſe debeat certum, quid remanere obſcurum poſſit, non ſatis profectò diſtinguis. Res magna eſt (vt eodem quo ſupra, vtar exemplo) futurum eſſe aliquando commune de omnibus iudicium, & ideo inter Chriſtianos nulla obſcu-

Lib. 4 dialog cap 42

ritate incerta eſt: ſed quo tempore, & qua terrarum in parte habendum ſit, non magna in religione res eſt, potuitque etiam vtiliter ignorari. Sic damnatorum eſſe pœnas æternas, & ignem inextinguibilem, magna profectò res eſt, neque eam neſciri, aut dubiam eſſe expediebat: ſed vbi eſſet, quóue in elemento cruciaret, id quid attinebat noſſe? Nam vt fugiatur, ſat eſt certa fide credi exiſtere. Sic purgatorium eſſe aliquod animarum, & eiuſmodi ſtatum aliquem poſt mortem, vt in eo noſtris indigeant officijs, res profectò magna eſt, cuiuſque ad nos cognitio magnopere pertinebat: ſed quonam eſſet hoc loco ſitum, vt quid ſciri neceſſe fuit? An minus prodeſſe mortuis poſſumus, quam ſi id teneremus indubitata notitia exploratum? In magnis igitur rebus diſcernenda ſunt ea quæ vtilem habent cognitionem, ab ijs quæ curioſitatem magis paſcunt, quam ædificandæ fidei & charitati ſubſeruiunt. Illa nobis incerta eſſe Dominus, prouidentiſſimè nobis conſulens, paſſus non eſt: hæc latêre voluit & patienter ignorari. Quænam igitur, Areti, res tanta eſt, quam hærere in tanta obſcuritate ſignificas? an purgatorium aliquod eſſe? ſed id in Eccleſia Dei & eſt, & fuit ſemper ex ſcripturarum ſanctarū expreſſa doctrina certiſſimum: An illud potius, quónam eſſet in loco, & qua orbis in parte conſtitutum? ſed ea res magna nō eſt, nec intereſt admodum ſciamus hoc, an neſciamus: imò verò vtilius
eſt

est nesciri, quam haberi definitum. Nam & hoc patefecisset mortalibus diuina benignitas, si scire profuisset. Igitur vbi sit purgatorius locus, id ex ijs est quæstionibus quæ sunt præter fidem. Vbi etsi esset corrigendus error, non eum tamē tanquam hæresim insectari & damnare oporteret: cuiusmodi quæstiones aliquas D. Augustinus enumerat libro de originali peccato, capite 23. ad obscurissima, vt ait, Dei opera pertinentes.

Esse aliquem locum purgatorium, Græcis Latinisque Ecclesiis minimè dubium fuisse, etsi esset aliqua de igne controuersia, neque quicquam de loco vbi esset definitum. CAP. IX.

QVamuis autem ad obscurissima pertineat opera Dei, vbi purgatorius hic sit locus, tamen esse aliquem in Florentina Synodo, quæ Ferrariæ cœpit, magno consensu & sine omni dubitatione cum Latinis Græci tenuerūt. Hoc inter eos solum differebat, quod ignem Græci in eo loco esse non statuerint. His autem Latini verbis, suam explicarūt de purgatorio loco sententiam. Nos ignem, Patres amplissimi, in hoc mundo credimus esse, quò quidem animę peccatis leuioribus, vel vt vulgò dicitur, venialibus obnoxiæ, coadiuuāte Ecclesia, sacerdotum precibus, missis ac eleemosynis expiāntur. Nam sanctorum & iustorum animas in cælo esse, ac

Trinitati assistere, suam denique felicitatẽ consecutas esse nemo dubitat: Animas verò eorum qui sine pœnitudine mortem obierint, in inferno vna cum Iuda pœnas æternas luere profitemur: Ita vt tria mortuorũ loca simpliciter sint: Vnus quidem sanctorum, quod cælum creditur esse; alter delinquentium qui sunt inferi. Qui verò confessi, sacratissimum Christi corpus, absque tamen pœnæ præuia satisfactione sumunt, continuoq; moriuntur, hi dubio procul in supradicto igne, quod purgatorium appellari solet, purgantur. De quo quidem igne,
1. Corin. 3. Paulus ad Corint. scribit; Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Et paulò infra. Ipse autem saluabitur: sic tamen quasi per ignem. Hæc Latinorum de purgatorio confessio fuit. Ad quam ita Græci responderunt. Quæcunque, Patres amplissimi, protulistis atque citastis, Orientalis Ecclesia profitetur: quamuis inter Gręcos & Latinos parua sit differentia. Vestram ergo sententiam literis tradite, quod ipsi quoque facturi sumus, vt in quonã à vobis differamus, palàm fiat. Quæ cum audissent Latini, magno affecti gaudio, gratias Deo egerunt, & datis literis discesserunt. Ad decimam autem quartam diem eiusdem mensis iterum conuenerunt. Et Græci, Pauli dictum longè aliter exposuerunt, ac suam expositionem ita literis
Ibidem. mandarunt. Paulus ad Corinth. scribens, Patres amplis. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides

pre-

pretiosos; lingua, fœnum, stipulam & reliqua, hominum vitam & opera intellexit, videlicet an praua, studiosaue sint: ita vt cuius opera in ignem combusta permanserint, is bonus censeatur ac operum suorum mercedem accipiat: cuius autem opus arserit, id est cuius opera friuola fuerint combusta, ipse detrimentum patietur, hoc est, damnabitur, & saluus erit, sic tamen quasi per ignem, id est, in igne semper saluabitur, in eo luens pœnas æternas: ita vt ignis ipse de quo Paulus loquitur non purgatorius, verum æternum supplicium sit: de quo etiam inquit Euangelista; Discedite à me maledicti in ignem æternum. Nam ipsi purgatorium non ignem, sed obscurum quendam locum ac laborum plenum esse censemus: in quo quidem existentes animæ lumine diuino priuantur, donec coadiuuante Ecclesia, vt supradictum est, expientur ac liberentur. Sic ergo sentimus de purgatorio. Habes Areti manifestum Ecclesiæ totius quæ tum fuit consensum de Purgatorio, id est, de vno quopiam loco, de pœna & ærumna qua animæ quædam expientur atque purgentur. In eo verò quod ignem esse Græci nollent, quam malè fuerint ipsi fundati in vnius Chrysostomi commentario, duro videlicet nimium & coacto, illi ipsi quoque Latini patres demonstrarunt in ijs quæ consequuntur loco designato; ex quo illa repetenda relinquimus. Itaque cum iuxta meliorem & certiorem, magisque patrum consensu roboratam

Matth. 25.

ratam loci illius expositionem, purgatotium aliquem ignem esse statuere debere videamur, tamen vbi, & quo loco sit ignis ille, iudicare est difficillimum; neque id est à patribus illis, aut Græcis, aut Latinis iudicatú, quamuis inter eos aliqué esse eiusmodi locum optimè conueniret.

Quæ sit verisimilior de Purgatorij loco sententia. CAP. X.

AC Diui quidem Thomæ sententiam si quis amplectatur, non video qua ratione refelli, aut possit aut debeat. Aretius certè commemorare contentus, nihil attulit quo illa infirmaretur opinio. Quid verò Alcuinus? proptereáne retia tetendit & Christo & sanctis martyribus, quia diffusum in aere illum ignem affirmauit? Ergo ipsum prius accusent creatorem, qui quæ proxima cælo sunt, aëris ignisque spatia ingentia, maximis voluit perpetuisque feruere caloribus; in quibus fragilem hanc nostri corporis naturam certum est sine grauissima doloris afflictionisque molestia non posse subsistere. Cur ergo hæc corpori Christi cælestia petenti, retia non fuerunt? Cur non quotidie sunt animabus sanctis, peracta hic purgatione ex corporis ergastulo euolantibus? Nimirum dicet Aretius, quia Christi corpus immortalitatis & impassibilitatis ornatum dotibus, nulla potuerit læsione corrumpi, nullo affici sensu doloris, nulla mora retardari: Animæ

mæ verò iam exutæ corporibus, cum ſpiritus ſint, à corporeo elemento ſuſcipere nequeant vllam impreſſionem, niſi quantum diuinæ voluntati ſubſeruiat, cui ſubeſt poſſe etiam per ignem corporeum, & dæmonibus, & damnatorum ſpiritibus inferre cruciatum. Aliquid ergo tale hunc dictu rum puto, vnde intelligatur pro diuerſitate naturarum aliquid pati ab aliquo naturaliter, aliud non pati: à quo proindè requiro, cur etiam pro diuerſitate meritorum non aliud ſupernaturali operatione cruci etur, aliud intactum & illæſum pertranſeat? vnde intelligetur, plenè purgatis ſpiritibus nulla in igne eſſe poſſe retia, quando nulla ſint ſupplicij merita: nec magis profectò illis retia eſſe poſſint quam angelis ſanctis, qui in quouis elemento ſine omni moleſtiæ ſenſu verſantur cum volunt, & cum aliqua in re famulantur diuinis iuſſionibus. Hoc etiam, credo, Aretius tanquam ſubtilis philoſophus perſpectum habuit atque conſtitutum, non poſſe aut angelum aut animum auulſum à corpore, de loco in locum, niſi per ſpatium quod medium, ſit commigrare: nam ſi hoc neceſſe non eſt vt per media ſpiritus tranſeat, ſequaturque locorum continuitates ſua progreſſione, nihil iam prorſus ab igne medio fuerit illi metuendum, ne fortè in ea incidat retia, quæ facillimè poſſit tranſuolare. Atque hic quidem Aretium crederem ſuis retibus riſum magis captare voluiſſe, quam quicquam concludere, niſi tam grauiter, ſerio-

que

que colligeret, quomodo absurdum, imò impium non sit illuc transferre purgatorium. Maluisset forsitan in terræ visceribus, vt à D. Thoma factum est, collocari, ne foret illi impedimento commigranti in cælum, si esset in aëre. Sed ego eum hac cura liberabo: Non enim purgatorium timere debet, qui purgatorium nullum credit, cum sit de gehenna securus. Malim tamen ipse etiam cum D. Thoma in terræ collocare visceribus, propter id quod dicit de seipso Christus Dominus: Sicut fuit Ionas in vētre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita filium hominis in corde terræ esse oportere tridui spatio. Apostolus quoque Christum ait descendisse in inferiores partes terrę: quod etiamsi propter mortem dici Diuus Chrysostomus interpretetur, tamen quod mortem subsequutum est secundum animam, id seiungendum à morte non putauit; quia propter solam mortē, si ea totus Christus fuisset extinctus, quonam modo intelligi posset descendisse in inferiores terræ partes? Deinde D. Hieronymus in eum locum sic est commentatus, vt infernum significatum acciperet in humilioribus terræ partibus constitutum. Inferiora, inquit, terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster saluatorque descendit, vt sanctorum animas quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret. Vnde & post resurrectionem eius plurima corpora iustorum in sancta ciuitate visa sunt. Quod autem infernus, inquit, in inferiore

Matth. 12

Ephes 4.

riore parte terræ ſit, & Pſalmiſta teſtatur dicẽs: Aperta eſt terra, & operuit ſuper congregationem Abyron: quod ipſum in Numerorum libro plenius explicatur. Alio quoque loco legimus: Veniat mors ſuper eos, & deſcendant in infernum viuentes. Hæc apud D. Hieronymũ. Ipſe quoque Auguſtinus in libros quos ſcripſerat de Geneſi ad literam, ſui iudicij cenſuram annotás, In duodecimo (inquit) de inferis magis mihi videor docere debuiſſe quod ſub terris ſint, quam rationem reddere cur ſub terris eſſe credantur ſiue dicantur, quaſi non ita ſit. Sic Auguſt. de inferorum loco. Cùm igitur purgatorius locus inferorum pars ſit quædam, vti & Limbus, iuxta eum ſenſum quo ſacræ literæ plerunque inferos nominant ſeu infernũ, non improbabilis D. Thomæ & aliorum opinio eſt, eſſe locum purgatorium in terræ viſceribus, procul tamen ab ipſis gehennæ portis; non tam loci diſtantia, de qua diuinare nihil poſſumus, quam immutabili decreto Dei ſeiunctum. Quod etiam intelligitur ſignificatum eſſe per chaos illud magnum, quod Abraham inter Lazarum & diuitem epulonem interiectum eſſe dicebat, cum foueretur tamẽ alter in limbo, alter in gehenna torqueretur, quæ duo apud inferos erant. Torqueri quippe (inquit Tertullianus) animas fouerique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis probabit Lazari exemplum. Ipſum quoque inferorum nomen tale quiddam ſignificat, cum infera

Pſal. 105. *Cap 16.* *Pſalm. 54.* *Lib. 2. Retract. c. 24.* *Luce 16.* *Lib. de Reſurrectione carnis.*

fera

fera ſuperis opponātur: Sicut igitur ſuperos in cælo intelligimus, ita etiam inferos in imo terræ intelligere debere videmur. Quid etiam aliud ſonet, vt aſcenſus in cælum, ita etiam deſcenſus in infernum? iuxta id quod ſcriptum
Pſal 128. in pſalmis eſt; Si aſcendero in cælum tu illic es; Si deſcendero in infernum ades: Quid item
Cap.7. ille apud Iſaiam locus; Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in
Cap. 11. excelſum ſupra: aut ille Iob; Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? Quod autē propriè pertinet ad ſentētiā Alcuini, qui Caroli Magni fuit inſtitutor, & venerabilis Bedæ diſcipulus, ſuaque ætate doctrinæ & eruditionis nomine clariſſimus, non eam oſtendit Aretius à D. Thomæ diſcrepare ſentētia, quantum concernit ipſas animas, quæ ſine corporibus ante iudicium extremum puniuntur. Siquidem vbi ſit ille ignis animarum purgatorius, de eo nihil diſputat Alcuinus, ſed eum ignem cuius Apoſtolus meminit primæ Corinthiorum tertio, (quem locum ille retulit ad extremum iudicium) dicit quoſdam ſanctos qui minora ſecum peccata detulerunt eſſe purgaturum, perque eundem ignem & iuſtos perfectos, ſine omni tamen ſui læſione tranſituros. Ignem ergo illum, de quo beatus Apoſtolus, quia in aëre Alcuinus poſuerit, non eſt conſequens quod vſque ad extremum iudicium, aliquem eſſe in terræ viſceribus ignem non putarit quo animæ expiarentur; ſiue quod perpetuū

purga-

purgatorij locũ æstimauerit aërem illum sublimiorem. Sic autem scribit Alcuinus libro 3. de Trinitate, capite 21. De igne diei iudicij Apostolus ait; Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit: de igne purgatorio hoc eum dixisse non est dubitandum: quem ignem aliter impij sentient, aliter sancti, aliter iusti. Impij siquidem de illius ignis cruciatu, ad perpetuas ignium flammas detrudentur. Sancti verò qui sine omni peccatorum macula in corporibus suis resurgent, qui supra fundamentum quod est Christus, aurum, argentum, & lapides pretiosos ædificauerunt, tanta facilitate illum peruolant ignem, quanta integritate fidei & dilectionis, Christi in hac vita custodierunt præcepta, eritque illis ignis ille diei iudicij, sicut tribus pueris caminus Babylonis fornacis fuerat, qui absque omni flammarum læsione in Domini laudes omnium pulchritudinem creaturarum conuocabant. Sunt ergo quidam iusti minutis quibusdam peccatis obnoxij, qui ædificauerunt supra fundamẽtum quod est Christus, ligna, fœnum, stipulam, quæ illius ignis ardore purgantur; à quibus mundati æternæ felicitatis digni efficiuntur gloria: illoque transitorio igne, & toto extremi diei iudicio completo, diuidentur duæ congregationes sanctorum & impiorum; vna Christi, altera diaboli; vna bonorum altera malorum, vtraque angelorum & hominum. Ex his Alcuini verbis perspicuum est, nõ debuisse illi affingi peculiarem

1. Corin. 3.

de purgatorij loco ſententiam, cui D. Thomas poſtea repugnarit. Perſpicitur hoc etiam quàm illa futiliter afferantur de retibus, tanquam ea martyribus ſanctis Alcuinus tetenderit in aëre. Tertia verò opinio quæ Antonino aſſcribitur, qua præter communem locum alia quædam agnoſcuntur extraordinaria, neque repugnat prioribus, & quadam experientia non ineptè, quamuis hoc Aretius putet, confirmatur. Siquidem admonitionis noſtræ gratia ſubinde fieri, vt animæ quædam poſt mortem, admirabili diſpenſatione Dei, ſuos cruciatus & pœnas in terris exhibeant, quamuis ſolis probaretur apparitionibus, tamen eam docendi rationem,
Matth. 17 quæ exemplum habet in Euangelio, vbi Moſis & Heliæ apparitio memoratur, contemni non oporteret. Ideoque B. Gregorius hoc genus apparitionum non modò non reiecit, verum etiam ex eo quiddam cẽſuit dignum quod
Lib. 4. Dialog cap. 40 commemoraret in ſuis Dialogis, de eo qui poſt mortem ad erroris cuiuſpiam culpabilis expiationem, cruciatus eſt in balneo.

Apparitiones defunctorũ fidelium quæ apud ſcriptores catholicos leguntur, quam malè generatim repudientur ab Aretio. CAP. XI.

SEd hoc apparitionum genus non in ijs ſolum quę paſſim fieri dicuntur, verumetiam in ijs quæ leguntur apud ſcriptores non contem-

temnendos, fine discrimine omninoq; generatim damnat Aretius vt fallax & noxium, cuiq; nihil prorsus tribuendum sit. Quod quãuis ad probationem necessarium nobis non est, qui Dei verbo doctrinaq; maiorum nitimur in hoc de purgatione fidelium animarum argumento: tamen libet annotare breuiter, quibus rationibus efficere conetur Aretius, vbi de Spectris agit, vt totum hoc repudiandum esse credatur.

Primum (inquit) *si defunctorum animæ sunt quæ offerunt sese hominibus, facient id vel priuata authoritate, vel Dei iussu. Priuata authoritate eas id facere credi non potest. Sed neq Dei iussu hoc faciunt: nam consulere mortuos prohibuit Deus, ergo mortuos nõ mittit ad viuentes ipse Deus. Id vel vnius Lazari historia testatur Lucæ 16 Adde quod nunquam prodant sacræ literæ veritatem per defunctos fuisse à Deo patefactam.*

Hic Areti de tua illa disiunctione; Aut priuata authoritate, aut Dei iussu, quid tibi dare debeamus non admodum obscurum est. Dei enim nutu ac dispensatione speciali, id cum fit, non iure priuato seu ordinario rerum humanarum cursu fieri concedendum est. Idcirco beatus Augustinus, lib. de cura pro mortuis, cùm dixisset, non solis beneficiorum effectibus, verumetiam ipsis hominum aspectibus, cõfessorem apparuisse Felicem, cum à barbaris Nola oppugnaretur; idq; non incertis rumoribus, sed certis testibus cognitũ, subiunxit ista diuinitus *Cap. 16.*

exhiberi, longè aliter quam se habet vsitatus ordo singulis creaturarum generibus attributus, alióſque esse humanarum rerum limites, alia diuinarum signa virtutum; & alia quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter eueniant. Sed nec iussu Dei quidem hoc vnquã fieri, si benè probatum putes, quia prohibuerit Deus consuli mortuos, non leuiter hallucinaris. Non enim recens aut huius duntaxat temporis illa prohibitio est, ne mortui consulantur: sed Euangelio multò antiquior: Qua tamen nihil obstante postea Moses & Helias in monte Thabor apparuêre Christo. Quæ si apparitio legi contraria non fuit, cur esse debuit legi aduersa si qua postea eiusdem Dei iussu contigisse narretur? An statuendum est nullam posse fieri mortuorum exhibitionẽ Dei nutu, nisi vt ab ijs qui supersunt consulantur, aut occultæ cuiuspiam rei veritas exquiratur? quis id cõcesserit? quis non hoc in apparitione Felicis perspiciat falsum? Quod etsi concederetur, nõdum tamen peccaretur in illam Dei legem quæ Necromantiam & malas artes prohibet, quibus homines prophani mortuos excitare se putant posse, à quibus diuinationem accipiant. Quid autem est quod Lazari testatur historia? An quod ad amicos epulonis nemo mortuorum missus est, efficit nunquam id aliàs factum; nunquam futurum, vt ad viuentes mortui mitterentur? aut ea sola mittendi ratio subesse potest, vt hi qui viuunt moneantur, quemadmodũ amicos suos epulo

Aug. lib. 7. de ciuit. cap. 35.

epulo moneri volebat, caueant sibi ne detrudi mereantur in gehennã? aut quia tunc impij & damnati hominis desiderio nihil tributum est in fauorem fratrum eius, simili impietate laborantium, consequens est vt nihil vnquam piorum votis propter aliqua piorũ vel excitamenta vel solatia tribuatur? Denique quoniam asseris nunquam prodere sacras literas, veritatem per defunctos fuisse à Deo patefactã, quónam pertinuit Mosis & Heliæ præsentia in monte Thabor, nisi vt ea manifestãdæ veritati subseruiret, instruerenturque hoc modo & discipuli qui viderunt & alij qui id audituri fuerant, Christum habere testimonium à lege & prophetis?

Reipsa quidem hoc (inquis) *manifestare potuerunt, at nihil verbis eloquuti, neque cuiusquam rei veritatem sermone prodiderunt.* Hoc Areti, si putes, videris sane quemadmodum cum Lucæ narratione tua consentire possit opinio. Dicebant enim (inquit) Moses & Helias excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. *Luca 9.*

Quod addis, *Animas fidelium beatas de feliciori statu suo in deteriorem nolle descendere: eas verò quæ in pœnis sint, etsi velint, non posse ascendere:* id priore quidem sui parte, errorem habet quo putetur beatas animas huc ad nos Dei iussu venire non posse, nisi beatiore suo statu relicto, in deteriorem incidant; cum angelos constet huc ad nos mitti & cum electis versari, sine vllo detrimento suæ felicitatis. Nam & angeli eorum, ait Christus, vident faciem patris qui *Matth. 18.*

in cælis eſt. Poſteriori verò id ſolum conuincit, ſuo quidem iure proq́; ſuo arbitrio venire non poſſe, non antem ne tum quidem ſi Deus iuſſerit. Quod Chryſoſtomum obijcis, qui in caput 8. Matthæi ſcribens, diſertè neget animas defunctorum hic oberrare, quis non illam eius doctrinam vt ſalutarem complectatur? hanc prorſus commendatam eſſe doctrinam volo fidelibus, quorum per ſimplicitatem multi quicquid paſſim, vel puerorum, vel muliercularum oculis per quietem aut alias ſeſe ingerit, defunctorum animas eſſe putant. Verum aliud eſt oberrare hic paſſim defunctorum animas, aliud interdũ mitti & apparere ſingulari diſpenſatione eius, cuius in manu eſſe creduntur. Quod ſi nunquam contigiſſe poſt illam in mónte Thabor apparitionem exiſtimandum eſt, totumq́ue reijciendum ſit ad phantaſtica vel ſathanica ludibria, quemadmodum perſuadere niteris, quia nihil tale ſcriptum in diuinis literis inueniatur, tam multa quoque miracula, quæ poſt Apoſtolos in Eccleſia Dei facta ſunt, ad impoſturas reijcere debebimus, quoniam in Euangelio commemorata non leguntur.

At *produnt ſe*, inquis, *illi ſpiritus quales ſint ſua confeſſione. Nam in eo Sathan nõ eſt ſatis cautus, cum plerunque petunt pugnantia cum verbo Dei, aut idem corrumpant aliquo pacto: vt cum alienos Dei cultus approbant; ſanctis authoritatem intercedendi arrogant; merita erogationis & ſupererogationis confirmãt; poſtulant cultum aliquem, miſſas,*

missas, altaria, sacella, in quibus vel ipsi vel alij defuncti honorantur: cum scriptura vnius Dei adorationem & cultum nobis proponat, vnius etiã Christi meritum & intercessionem cõmendet.

Hoc nimirum illud est Areti, propter quod vniuersim apparitiones damnandas esse putauisti, ne qua hinc vel cultus sanctorũ, vel missarum, vel orationum pro defunctis peti posset confirmatio. Et hic quidem Sathanam vt simplicem & nõ satis cautum reprehendis, qui tamen, si benè attendas, in eo ipso te decepit. Lucẽ enim veritatis, illo procul dubio authore ac duce persequeris, propterea quod eius specie suas ille occultat insidias; tanquam si ouibus sua coneris vellera detrahere, quia lupina interdum feritas sub illo tegumento delitescit. At nos, quamuis illa interdum diabolus postulet sub prætextu mortuorum, quorum sibi & nomina & formas affingit studio fallendi; non tamen ipsa quæ petuntur damnamus vt impia, sed in his tanquam sub lucis specie, cauendam admonemus Sathanæ maleuolentiam; qui propterea aliena ingerit, vt incautos ad ea quæ ipsius propria sunt, pertrahat. Nõ enim Christus propterea Dei filius & Christus non erat, aut eius discipuli non ideo filij non erant Dei excelsi, quia de illis hoc diabolus prædicabat: sed tamen credi hæc diabolo tanquam vera dicenti, noluerunt Christus & Paulus, ne noxia induceretur ei credendi consuetudo; aut in assertione quamlibet salutiferæ veritatis, aliquid tribuere-

bueretur authori & patri nocētiſſimæ falſitatis.

1.Reg.28. Quod autem pertinet ad exemplum Samuelis, à muliere excitati vt Saüli Regi reſpōderet, quod illuſtre haberi dicis apparitionum exemplum, ex eo quidem fateor non certiſſimum argumentum duci, propter interpretationum diuerſitatem, & opinionem Auguſtini quam expreſſam reliquit breuiter libro 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 23. Sed tamen quia non pœnitendis rationibus te putas effeciſſe non Samuelem fuiſſe verum, ſed ludibrium Sathanæ, paucis videro quantum debeas de tuarum rationum firmitate gloriari. *Primum* (inquis) *ſermo illius, Regem ducit ad deſperationem, quo ſe declarat ſpiritus ille quod interitu hominis delectetur.* Hic te, Areti, interrogo quam deſperationem afferri Regi intelligas reſponſo Samuelis? Num veniæ & æternæ ſalutis? At eius deſperationis nulla prorſus in verbis ſignificatio eſt: nec intercluſus eſt Regi aut filijs ad ſalutem aditus, nec pœnitendi tempus ſubtractū, nec tanti mali hic vllas reperies minas. An vitæ longioris, & recuperandi regni ſucceſſioniſque filiorum in regno iniecta deſperatio eſt? Sit ita planè. Sed cur eam deſperationem Dei ſpiritus facere nō potuit? Nónne & per Iſaiam dictum eſt Ezechiæ Regi; Diſpone domui tuæ; morière is enim & non viues? Nónne & alius

Iſaie 38.

Ierem.7. Propheta prohibetur orare pro populo; quoniam certiſſimè Dominus populum eſſet in interitum & captiuitatem abducturus? Nónne

Aaroni

Aaroni denunciari voluit, non esse eum progressurũ longius, sed in monte moriturũ? Quid alienum rogo te à iustitia Dei, si homini desperationem faciat vitæ inter mortales productioris? Nec propterea consequens est quod hominis interitu delectetur; esset enim hoc crudelitatis: sed planè delectatur Dominus sua iustitia, cuius seueritatem in Saülem, denunciatam illi maturè voluit, vt vel sic prouiso temporali suo per mortis celeritatem excessu, per seriam resipiscentiam saltem æterũ vitaret interitum. Nihil ergo adhuc habes indignum spiritu Samuelis, nihil abhorrens à spiritu Prophetico & diuino. *Deinde* (inquis) *addit: Cras mecum eris. Sed rex impius non poterat cum pio Samuele copulari: Superest igitur illum cum impijs colligi. Non fuit igitur ille loquens Samuel, sed Sathan.* Non possum hic, Areti, quin tibi in memoriam reuocem, id quod scribis in eo loco qui est apud te de Limbo patrum. Cum enim proposuisses tibi argumẽtum tanquam à nostris profectum partibus, ex Genesis cap. 49. petitum: Collectus est ad populos suos; & ex eo quod aliàs quoque Sancti homines dormire dicuntur cum patribus suis, eâque etiam à Diuo Hieronymo referri dixisses ad Limbum, subiungis continuò, rem alium multò sensum habere; phrasim esse linguæ Hebrææ, qua is qui dicatur esse collectus ad patres suos vel ad populos suos, per id significetur esse mortuus & sepultus cum suis maioribus; eoque fieri addis Numer. 20

vt phrasis illa non pijs solum, verum etiam impijs tributa legatur, quemadmodum videre liceat in historijs regum impiorum. Hunc igitur phrasis illius sensum cum teneas, cur non in mentem venit, similem commentarium & hic vsui esse potuisse? vt nimirum dixerit Samuel; Hodie mecum eris, id est, ad me cæterosque mortuos colligeris; desines inter viuos mortalem vitam agere, & ad numerum mortuorum aggregaberis. Nam & Christus Dominus propterea post resurrectionē suam ita locutus est, ac si cum discipulis suis iam non esset, quos tamen præsens alloquebatur, quia iam mortalis vitæ conditionē reliquerat: Hæc (inquit) sunt
Luca vlt. verba quę locutus sum vobis cùm adhuc essem vobiscum. Hoc quidem sensu nec te puto, Areti, offendi posse, quem ad eum suscipiendum habeamus adiutorem; nec tergiuersaberis opinor, quia non dixerit: Hodie cum mortuis eris, sed, hodie mecum eris. Nam neque illic dictum est, appositus est, vel collectus ad mortuos, generatim; sed collectus est ad patres, ad populos suos.

Quod tertio loco adiungis; *Non patefecit se Deus vnquam per mortuos; sed per viuos homines admonet de sua voluntate: ergo nec hic idem fecit.* Id perfacilè est animaduertere manifestam habere principij petitionem. Hoc ipsum enim in istius exempli tractatione quæritur; An non Saüli Deus per Samuelis spiritum suam patefecerit voluntatem.

Sed

Sed neque id concludit quod quarto loco ponitur; *Accedit* (inquis) *quod Deus Sauli noluerit respondere, neque per Vrim neque per Thumim, nec per visiones noctis, nec per prophetas; ergo nec per mortuos, quod illi insuetum est.*

Nam præter vsitatas atque ordinarias agendi vias, cum tam sæpe Deus circa homines, vel propter homines aliquid mirabiliter egerit, quis prohibuisset ne cor Regis superbia durũ, & iam prioribus atque vsitatis prophetiæ modis indignum, noua hac denuntiandæ voluntatis suæ ratione concuteret?

Quinto, ais, *Diabolus nullam habet potestatem in sanctos dum hic viuunt; ergo multò minus aliquid iuris habet in eos post mortem. Diabolum autem hic egisse constat indè, quia pythonissa illum vetitis artibus excitat. Quare non putandum est Samuelem verum reuocatum esse.* Atque hoc inter cætera facilè præcipuum est argumentum. Sed vt magis obuium dissoluitur à pluribus; Idque in primis ab ipso Augustino lib.2. ad Simplicianum quæstione tertia, vbi docet non absurdum esse credere ex aliqua dispensatione diuinæ voluntatis permissum fuisse, vt non inuitus nec dominante aut subiugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & pythonissam illam & Saülem latebat, consentiret spiritus prophetæ sancti se ostendi aspectibus Regis, diuina eum sententia percussurus. Hinc ergo tibi Areti respõdebitur; Diabolum

bolum nihil hic iuris in Samuelem aut vſurpaſſe aut exercuiſſe; ſed neq; à pythoniſſa illum vetitis artibus excitatum, ſed à Deo iuſſum ad Regem aſcendere, terribilem ac triſtem ei nũtium futurum, quoniã id ille merebatur. Neq; hanc Samuelis reuocationem Deus Magiæ dedit, ſed Regis votis, quorum magnitudinem exaudiuit iratus. Suis enim Deus quædam negat propitius; reprobos autem interdum exaudit iratus.

Hinc iam perſpicis quas habeat vires quod ſexto loco poſitum eſt. *Excitare verè mortuos ſolius eſt Dei opus, quo inuito ne viui quidem aliquid poſſunt, ne dicam mortui; ergo hic non fuit vera mortui excitatio, ſed ludibrium Sathanæ.* Solius enim Dei potentia & nutu, Samuelis animam ab inferis excitatam dicimus, quam etſi quis adductam fuiſſe Diaboli opera ſtatueret: (Nam & Chriſtum diabolus tranſtulit in ſanctam ciuitatem, & ſuper templi pinnaculum collocauit) non tamen neceſſe haberet fateri id inuito Deo factum: ſed inter tot ſanctorum angelorum myriades miniſtri lucidiores quam Sathan eſt, omnipotenti omnium Domino deeſſe minimè potuerunt.

Matth. 4.

Vt autem ſeptimo loco diceres, *patêre ex hiſtoria Lucæ 16. mortuis ſimpliciter negari reditũ in hãc vitam vſque ad diem iudicij*, prorſus non video quæ te tam clara eius loci verba in eum ſenſum adduxerint. Quin perſpicuũ eſt, Areti, hoc te ex Lucæ verbis non poſſe conuincere,

vbi

vbi nihil aliud expreſſum habes, quam mortuorum miſſionem epulonis fratribus eſſe negatam, idque ob id quod non neceſſaria eſſet ad illorum inſtructionem, quibus ad id Moſes & prophetæ abundè ſufficerent; imò verò quia etiam ſuperuacanea & nihil profutura fuiſſet, propterea quod illi credituri non erant, qui Moſi & prophetis non credebant. Poſſem & hoc tibi reſpondere, quod olim Diuus Hieronymus Vigilantio, cuius abs te modò ſententia defenditur; Tu Deo leges ponis? Tu Apoſtolis vincula inijcies, vt vſq; ad diē iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptū eſt; Sequuntur agnum quocunq; ierit? *Apoca. 14.*

Quod octauo loco, *De conſenſu Patrum*, ad argumentorum magis copiam, quam quo te id moueat, addidiſti; vellem mihi hunc conſenſum Patrum demonſtraſſes, cùm & pauci admodum locum hunc attigerint Patres, & ipſe Auguſtinus, qui eum ex profeſſo tractauit in quæſtionibus ad Simplicianum, vtramque ſententiam defendi poſſe monſtrauerit. *Quæſt. 3.*

Sed nec video quid premat, quod poſtremo loco ſubnectis, de Pontificum approbatione, homo ſcilicet valde pontificius. Ais enim, *tuis rationibus adductos arbitrari te pontifices, vt in Decretis hunc ſenſum & explicationem hiſtoriæ approbarent*. Decretorum librum, Areti, Gratianus conflauit ex Patrum libris, cuius omnes diligentiam approbamus, quamuis accuratior in citandis patrum ſententijs eſſe potuiſ- *26. quæſ. 5*

tuiſſet. Namque eo ipſo loco quem deſignas, ſub Diui Auguſtini titulo verba proferuntur ex quæſtionibus vtriuſque teſtamenti, quas Auguſtini non eſſe certis oſtendi poteſt indiciis: quemadmodum nec ille dignus Auguſtino liber eſt, qui inſcribitur de Mirabilibus ſcripturę ſacræ, in quo hæc eadem de ſimulato Samuele ſententia repetitur. Vtroque certè loco, id eſt, quæſtione 27. ex Veteri teſtamento, & cap. 11. lib. 2. de Mirabilibus ſacrę ſcripturæ, valdè hoc vrgetur argumentum, quod tu quoque paulò ante inuictum eſſe putauiſti; quomodo videlicet homo Dei qui cum Abraham in refrigerio erat, dixerit ad virum peſtilentiæ, dignumque ardore gehennæ, Cras mecum eris. Nec dubitat quin hic Sathan improuidus, ſubtilitatē fallaciæ ſuæ prodiderit, in eoq;, Areti, tecum planiſſimè facit. At vide quantò fuerit Auguſtinus circumſpectior. Cùm enim hoc idem propoſuiſſet argumentum, & hoc quod tu vis intelligi ipſe ſignificari non certè, ſed fortè dixiſſet, continuò vir acutiſſimus alium illius loci ſenſum reddi poſſe perſpexit; vt nimirū illud, Cras mecum eris, non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis referretur; adeóque hoc non contemnendum eſſe iudicauit, vt propterea & ante Simplicium & poſtea Dulcitium, ad quem verbis iiſdem quęſtionem de Samuele propoſitam explicauit, animaduertere poſſe dixerit ſecundum vtrumq; intellectum habere exitum illam lectionem.

Quæſt. 8.

Minus

Minus certè multò mouisset eum quod illum mouit è veteri testamento quæstionariũ, quod à Saüle se adorari Samuel passus sit. Neq; enim tam puer erat Augustinus in sacris literis interpretandis, vt nesciret quid frequenter admodũ illo adorãdi verbo signaretur. Quid? quod ipse Isidorus Augustini proculdubiò fluctuatione permotús, rem hanc videtur in ambiguo reliquisse. Sed ea verba Gratianus consultò sibi prætereunda putauit (qui tamen superiora ex Isidoro desumpserat) propterea quod (vt arbitror) cum verbis quæstionis è veteri testamento, quæ postea contexit, non satis congruere viderentur. Vnum illud addam coniecturæ meę: Si Diuus Augustinus cùm hanc de Samuele quęstionem tractaret Simpliciano respondens, tam Ecclesiastici locum præ oculis habuisset, Cap. 46. cuius nullam mentionem facit, quam eum qui Regum continetur historia, in alteram sententiam fortasse procliuius fuisse descensurũ. Nec tamen illum de ficto Samuele sensum dicit sibi solidiorem videri, sed in eo faciliorem quæstionis exitum & expeditiorem intellectum. Potest autẽ expeditior intellectus esse, qui non sit propterea solidior ac verior. Quod si Ecclesiastici Cap 46. locum cum historia ipsa contulisset, idque vt faceret in mentẽ venisset, raptim atque ex tempore de proposita sibi quæstione dictanti, non ei tum (quãtum existimo) suffecisset quod ait, propterea phantasma illud arte dæmonis excitatum nomine Samuelis appellatum esse, quia

soleant

ſoleant imagines earum rerum nominibus appellari quarum imagines ſunt. Etenim animaduertiſſet inter clarorum virorum laudes, hanc Samuelis laudem poni, quod & poſtquam dormiuit, oſtenderit Regi finem vitæ ſuæ. Quid autem ad hoc Samuelis encomium pertinebat, quod eius imagine fallaci dæmon eſt abuſus? Aut quid in illo laudis argumento commemorari attinebat ſub nomine Samuelis, quod à ſancto viro tam erat alienum? Denique, quid hoc ad Samuelem verum, ſi fictitius quoq; Samuel vates eſt, niſi hic, id eſt, Diabolus, à Samuelis ſpiritu fingatur edoctus, eiusque ſimul (quod abſurdum eſt) geſſiſſe perſonã? Nec verò conatus eſſet Auguſtinus elabi ea via quam iam vobis tritam effeciſtis, vt diceret librũ Eccleſiaſtici nõ eſſe in canone: Sciebat enim Auguſtinus librum Eccleſiaſtici in canonem Eccleſiæ recipi, quamuis non eſſet in canone Hebræorum. Quam enim hos canones librorum diſtinxerit (quamuis id tibi faciendum nõ putaris) declarat in libris de ciuitate Dei, cùm ait;
Lib. 18. cap. 36. Machabæorum libros non Iudæos quidem, ſed Eccleſiam pro Canonicis habere. Et hactenus de apparitionibus dictum ſit animarum defunctarum; non vt haſce vulgates, & quotidiana propè muliercularum ſpectra probaremus, ſed ne totum hoc genus, qua parte in ſcripturis canonicis comprænhenſum non eſt, improbandum eſſe crederetur; néve Diuus Gregorius, aliíve patres qui ex hoc genere quædam comme-

memoratu digna putauêre, risus eorum & cachinnos incurrerét, qui sibi nihil tale fieri posse persuasissent.

Quæ scripturæ vim habeant ad probandum Purgatorium: ac primum de illo scripturæ loco: Non exibis indè donec vltimum etiam minutum reddas.

CAP. XII.

R*Eliquum est*, inquit, *vt expendamus loca scripturæ, ex quibus id esse confirmant. Primum, Lucæ verba pro se rapiunt. Da operam vt libereris ab aduersario tuo in via: ne protrahat te ad iudicem; & iudex tradat te exactori; exactor coniiciat te in carcerem. Dico tibi, non exibis inde, donec etiam minutum reddas. Primum*, inquit, *verba per se nullam faciunt mentionem Purgatorij, neque etiam ignis, nec Purgatorij hic vllam audis mentionem, sed de studio impendendo vt libereris ab aduersario in via, priusquam ad iudicem sit deuentum: ac proponit grauissima pericula, quæ metuenda sunt iuris aleam subituro. Ex quo nihil aliud sequitur, quam oportêre concordiæ esse studiosos & pacis, & reconciliationis amantes. Quod sanè studium eò magis à pijs requiritur, cum id sit necessarium & ciuilibus caussis. Dubia enim est iuris alea, vt belli: bona caussa sæpius opprimitur, contrahes infamiam, dolores, amittes sortem & mulctam, & alia multa, quæ poteras in via cum aduersario* Cap. 12. & Matth. 5.

G com-

componere; mitius potest is de sorte & summa aliquid condonare, quod iudex non faciet. Vitabis mulctam & carceres, quæ irrogantur victo: da ergo operam, vt amicè transigas. Hic genuinus & literalis sensus, nihil ad Purgatorium facit.

Hactenus Aretius. Vbi vehementer cauet, ne quid pertineat ad sæculum futurum in commemoratis Euangelij verbis, ideoque in manus iudicis traditio, minister, carcer, ad huius sæculi molestiam referuntur, putaturque hic esse genuinus & literalis sensus, quasi hic Christus humanam duntaxat prudentiam docuerit, qua sibi vel alijs & gentilis homo prouidè nouit consulere: Quasi cum paulò antè secundum Matthæi Euangelium capite 5. ab iniurijs dehortans, ea quæ metuenda essent in futuro sæculo proposuisset, iudicium, consilium, gehennam ignis, continuò post tanquam oblitus sui ad sæculi iudicium, & temporaria incommoda & carceres delapsus sit. Qui prius conuitiatorem terruerat futuri iudicij & supplicij minis, quomodo consequens est, vt concordiam cum aduersario suaserit tãtum ne molestia premeret temporalis? Ergo illud, Ne aduersarius tradat te iudici, & iudex ministro, & non exibis indè donec soluas nouissimum quadrantem, in futuro sæculo fieri intelligendum est. Quomodo intellexit beatus Hilarius sensum literalẽ accuratè conatus exprimere, cum ita scribit in Matthæum: In præceptis Dominicæ orationis, remitti nobis peccata nostra

Canone. 4. in Matth.

ora-

oramus exemplo; & data aduersarijs conditione veniæ, ipsi veniam deprecamur. Hæc itaque negabitur nobis, si alijs negetur à nobis, nostroque ipsi iudicio rei sumus, si in iudicij tempus non remissis simultatibus transeamus, aduersario tradente nos iudici, quia manens in eum simultatis nostræ ira nos arguit. Sic Hilarius. D. quoque Hieronymus futuri sæculi iudicium se accepisse satis ostendit, cum interpretatur cohortari Dominum ad concordiam cum aduersario ineundam, quamdiu in huius sæculi via currimus, ne videlicet postquam huius viæ cursus morte abruptus sit, nos aduersarius iudici tradat. Eodemque modo B. Augustinus; Nescitis, inquit, quando via finiatur: cùm via finita fuerit, iudex restat, & minister, & carcer. Ex his quantum arbitror satis elucet ea quæ Aretius ad huius sæculi molestias refert, ad futurum sæculum esse referenda, quando huius vitæ via transierit. Sed verbis consequentibus in hoc totus incumbit Aretius, vt allegoriam & figuram remoueat, ab horũ interpretatione verborum. *Excipiunt*, inquit, *per Allegoriam accipienda esse de Purgatorio. Consideremus igitur an possint* ἀλληγορικῶς *sic intelligi. Primũ, Christus hic non per parabolas loquitur, sed aperto dicendi genere hortatur suos ad studium reconciliationis. Deindè si nobis placet affingere allegoriam, oportet illam esse perspicuam, & cum verbis Christi minimè pugnare. Esto enim, aduersarius sit Sathan, carcer sit Pur-*

Serm. 1. de verbis Domini.

gatorium, minutum vltimum sit Satisfactio: vide quam malè cohæreant. Christus iubet operam dare vt liberemur hic ab aduersario, hoc est, Sa-
Cap. 5. *thana. Et apud Matthæum iubet vt simus ei beneuoli. Oportebit enim beneuolos esse Sathanæ, & sic liberabimur ab eo in via, hoc est, in præsenti vita? Et quis vnquam reconciliationem cum Sathana docuit? Nulla enim cognatio Christo cum Belial. Deinde, cum peruentum est in carcerem, nõ exibis donec soluas* τὸ λεπτὸν τὸ ἔσχατον. *Postulat solutionẽ à quouis sui debiti; non admittit alterius satisfactionem: non ergo de Purgatorio intelligi commodè possunt. Tertio, abutuntur phrasi scripturæ in hac allegoria. Nam cum præscindat omnem veniæ spem; Non exibis indè donec solueris, inferunt: ergo solui potest & egressus est sperandus: cum potius concludat; non solui potest, nec patet egressus, quia semper soluendum est, & nunquã solui potest. Apud Matth. dicebatur: Et non cognouit eam donec peperit filium suũ primogenitum. Heluidius inferebat: Ergo postea cognouit eam: ita hi inferunt: Ergo postea solutio erit & egressus: sed falluntur. Vt enim illic perpetua Mariæ virginitas manet integra; ita hic perpetua manet debiti solutio sine spe egrediendi. Frustra igitur hinc construunt Purgatorium.* Hactenus ille.

Primum Areti, si quid pertinet locus ille ad incutiendum futuri sæculi metum, vt eo exstimulante operam demus concordiæ, nónne tu ipse per allegoriam, aut tropũ alium, iudicium,

tor-

tortorem, carcerem, quadrantem interpretaberis? Aut enim sensu literali per metaphoram hæc ita dicta sunt de futuri sæculi districto iudicio; aut per Allegoriam eò sunt referenda, aut nullus omnino hic nobis commendatur Dei metus, sed tantummodo sæculi: quod à Christiana cohortatione alienissimũ est. Cum ergo ex hisce tribus aliquid tibi sit eligendum, neque postremum sine singularis absurditatis mercede possis amplecti, superest si tibi constare velis; vt ad tropum confugias, quem tantopere damnas in nostris authoribus. Et vide in quibus. Neotericos forsitan aliquos, & huius scriptores ætatis putas abs te in hac re esse repræhensos: sed grauius impingis. Nam vt Theophylactum præteream, damnas D. Ambrosij commentationes, qui & Matthæi hunc locum, & Lucæ illi simillimum per tropum est interpretatus. Diabolum enim intelligit nostrum aduersarium, qui circuit vnumquemque nostrum, quærẽs quem deuoret: à quo secundum Lucam liberari, & cui iuxta Matthæum, consentire, siue vt græcè est expressius, in quem beneuoli esse debeamus. Si enim, inquit, dum sumus in hac vita exoluamus nos à vinculis Diaboli, nec ille propter nos damnabitur, & nos à vinculis eius erimus alieni. Hanc ipsam D. Hieronymus expositionem adiunxit suæ, neq; pro coacta aut improbabili habuit. Sed & illam D. Ambrosius prosequitur per quam aduersarius noster sit Apostolicus & propheticus sermo,

Libro 7. in Luc. ca 59

1. Petri 5.

mo, qui nos ad asperiora præcepta & durioris vitæ documenta constringit; cui nos secundum Matthæum consentire conuenit, vt eum operibus æmulemur, ne aliqua nostri contumacia ab eo desciuisse prodamur. Persimilis est [a] Augustini & [b] Fulgentij & [c] Gregorij magni commentarius, vt nomine aduersarij, sermo seu lex ipsa significata sit, quæ aduersatur peccatori, quoniam eum accusat, & pœna dignum violata conuincit (nam dictio Græca ἀντίδικος, aduersarium caussæ & litis significat; actorem videlicet ipsum, qui reum facit & in ius trahit) nec euadendi ratio est, nisi illi consentiatur. Sicut enim damnat ipsa à lege discordia, ita consensus concordiaque iustificat. En habes Areti perspicuum tropum, Christi verbis minimè repugnantem, & grauissimorum authorum literis commendatum. Habes aduersarium à quo debeamus liberari, & cui tamen sit consentiendum. Qua enim ratione lex damnat & reum agit peccatorem, ea ratione ab ea liberari debemus. Liberamur si consentimus atque concordamus. Cuius quidem concordiæ partes duæ sunt: altera vt obseruemus legem, faciamusque quod præcipit; altera vt pro delictis præteritis quibus violata lex est, nosmetipsos puniendo satisfaciamus. Nam sicuti lex primum requirit obseruationem sui; deinde pœnam, si quis non obseruet: ita consentitur ei prius quidem obseruando, vitamque exigendo ad eius normam, tum deinde pœnam subeundo vl-

a serm. 1. de ver. domini. & in fine sermon. secundi de duabus piscationibus qui quintus est sermo in seorsim excusis

b Libr 2. de pecc. remiss. cap 4.

c Hom 39. super Euangelia.

do vltroneam, ne ob contractas offensas damnatio legis incurratur. Itaque aduersario isti consentire vtraque ratione debemus in hac vita; non solum viuendo secundum legem, sed etiam opera misericordiæ faciendo, quibus misericordiam nobis conciliemus, delictaque vitæ anteactæ redimamus. Idcirco B. Hilarius hanc concordiæ rationem insinuans dicit in commentario supra memorato: Quia charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est, nouissimum pœnæ quadrantem soluemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur. Et ad similem modum Ambrosius; Sicut, inquit, qui pecuniam soluunt, debitum reddunt, nec prius euacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad nummũ vsque quocunque solutionis genere quantitas vniuersa soluatur: sic compensatione charitatis, actuumque reliquorũ, vel satisfactione quacunque, peccati pœna dissoluitur. Et alia quę sequuntur eodem pertinentia. Ergo illi veteres hanc concordiæ satisfactionisque rationem ostendunt, qua vti debet in hac vita, qui prouidè sibi consultum velint in futurum: alioqui manet eos seuerum iudicium post mortem; manet carcer, vnde non exeant, donec soluerint nouissimum quadrantem.

Canon. 4. in Matth.

Libro 7. in Luc. ca 59

Ac de his iam verbis videamus, vtrũ aspernentur sensum eum qui sit de Purgatorio. Id enim persuadere conatur Aretius: *Nam cum*

peruentum est in carcerem, inquit, *non exibis donec soluas*, τὸ λεπτὸν τὸ ἔσχατον. Postulat solutionem à quouis sui debiti; non admittit alterius satisfactionem; non ergo de Purgatorio intelligi commodè possunt. Quæ hæc Areti collectio est? cum sit Purgatorij pœna secundum Dei iustitiam temporaria, non æterna; qui hanc totam subierit, nonne tandem exiturus est? Prorsus exiturus: Esset enim æternum alioqui supplicium, quod iusto homini & Dei filio deberi non potest: Exibit ergo, sed posteaquam sua pœna diuinæ iustitiæ accuratè satisfecerit, quod est nouissimum soluere quadrantem. Et pro quibusdam aliena quidem recipitur satisfactio vt citiùs liberentur, sed pro his, qui huius misericordiæ meritum sibi in hac vita charitatis & misericordiæ operibus comparârunt, in eoque concordârunt cum aduersario suo in via. Etenim vsque ad nouissimum quadrantem is significatur redditurus, qui hîc non concordârit per aliquam satisfactionem cum aduersario suo. Ex quo colligitur, quantum quisque concordauerit, tanto minus seueram debiti supplicij exactionem in futuro sęculo fore. Idcirco D. Cyprianus ad illos peccatores, qui suis in flagitijs ad extremum vitæ tempus perdurârint, & in fine conuersi nulla peracta satisfactione ex hac vita migrauerint, nullis hic misericordiæ præstitis operibus, quibus leuari post mortem possent; Ad tales igitur pœnitentes applicat hoc ipsum quod scriptum hic est: Non exibis inde,

Lib. 4. epist. 2. ad Antonianũ

donec

donec reddas nouissimum quadrantem. Aliud est, inquit, ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcerem non exire indè, donec soluat nouissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedẽ: aliud pro peccatis longo dolore cruciatũ emendari & purgari diu igni; aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendêre in die iudicij ad sententiam Domini; aliud statim à Domino coronari: Sic D. Cyprianus. Cui & Emissenum adiungam Eusebium homilia 3. de Epiphania: Hæc pœna infernalis, inquit, illos manebit, qui admisso & non seruato baptismo inæternum peribunt, ad quos dicitur, vt eant in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo dirigitur, quod non exeunt indè, donec reddant nouissimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo propheticus sermo commemorat: Et fluuius rapidus qui currebat ante ipsum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt; quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora. Sic Emissenus. Perspicis ne Areti non esse, quod vis, consequens, vt de Purgatorio locus ille accipi non possit, quia dictum sit, exigendum ab illo vsque ad nouissimum quadrantem? Quonam autem modo ita es oblitus tui, vt cum ad temporis huius molestias quę per iudicium sæculi subeuntur à reis, verba illa referenda putes, non cogitâris etiam de illo carcere hoc esse

Matth. 25. *Daniel. 7.*

verum, qui aliquando finitur? Nam si quis vrgente accusatore propter iniuriam compræhensus vnius tantum anni carcerem meruisset, neque plus exigi ab aduersario posset, is post illius temporis vincula & squalorem exiret poscente iustitiæ ratione, & tamen nouissimum exoluisset quadrantem, nulliusque pro eo esset recepta satisfactio. Sed adiungis abuti nos scripturæ phrasi, propterea quod sermo eiusmodi; Non exibis donec reddas, spem omnem veniæ, egressionis persolutionisque præscindat; potiusque ex eo concludendum; ergo non solui potest, non patet egressus. Hoc quam verè dicas Areti, quamque benè phrasim hanc, quæ scripturæ familiaris est, expenderis, ex consi-

1. Cor. 15. milibus intelliges: Qualia sunt; Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pe-

Matth. 5. dibus suis; Iota vnum & vnus apex non transi-

Matth. 12. bit donec omnia fiant; Non contendet, neque clamabit, & linum fumigans non extinguet,

Luca 13. donec eijciat ad victoriã iudicium; Acceptum fermentum mulier abscondit in farinæ satis

Luca 9. tribus, donec fermentatum est totum; Amen dico vobis sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium

Matth. 23. hominis venientem in regno suo; Non me videbitis amodò donec dicatis, Benedictus qui

Iob 14. venit in nomine Domini; Homo cum dormierit non consurget, donec atteratur cælum. His ergo locis, dic mihi, sensúsne sit; Nunquam ponet omnes inimicos sub pedibus suis; Nunquã

omnia

omnia complebuntur ; Nunquam eijciet ad victoriam iudicium ; Nunquam fermentatum est totum; Nunquam gustabunt mortem; Nunquam videbunt filium hominis ; Non me videbitis ; Nunquam dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini ; Homo cum dormierit nunquam resurget; nunquam atteretur cælum ? En Areti phrasis scripturæ, quæ tuam tamen expositionem non recipit. Neque enim aliud significat his locis, donec, quàm vsque dum: Verbi gratia, Oportet illum regnare vsq; dum ponat omnes inimicos &c. Abscondit fermentum in farinæ satis tribus, vsque dum fermentatum est totum, vnde & hoc interdum posuit interpres pro, donec ; velut Matthæi 2. Fuge in Ægyptum, & esto ibi, vsque dum dicam tibi ; dicere potuisset, donec dicam tibi; neque tamen opinor significasset, nunquam dicturum, nunquam egressurum ex Ægypto: Ita planè hoc loco, Non exibis donec reddas, significatur, vsque dum reddas nouissimum quadrantem : Ex quo colligitur id quidem, non exiturum antequam reddat, sed minimè significatur eum nunquam egressurum, quia nec dicitur eum nunquam esse redditurũ: Nam & hoc de seruo dicitur sui conserui oppressore: Abijt & misit eum in carcerem, donec redderet debitum: Vbi sensus non est, coniecit in perpetuum carcerem, vnde non esset egressurus, quia nunquam debitum redditurus : sed misit in carcerem, vsque dum redderet. Ac pa- Matth. 18.

titur quidem ea phrasis, vt nunquam reddat, & ideo nunquam egrediatur: sed aliud est, quid cum ea phrasi consistat, dicere; aliud quid ipsa significet, quidque ex ea sit colligendum. Tu concludis: Non exibit donec soluat; nunquam ergo exibit, nunquam soluet. Ego verò colligo, sicut & tu debueras: Potest ergo fieri vt nunquam exeat, si videlicet nunquam reddat nouissimum quadrantem. Sed si reddat, (id quod phrasis illa non negat futurum) satis insinuat eum egressurum esse. Quanquam & hoc interdum ita se habeat, interdum aliter. Cùm
Matth.12. enim dicitur, Linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium, non significatur quod post victoriam linum fumigans
Matth.1. sit extincturus: Item cùm dicitur, Non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum; non est intelligendum, quod postea cognouerit: Non enim sequitur; Non cognouit eam vsque ad partum; ergo cognouit post partum.
Lucæ 9. Attamen cùm dicitur; Non gustabunt mortem, donec videant filium hominis, intelligendum est, quod posteaquam id viderunt, sicuti in transfiguratione factum postea me-
Iob 14. moratur, gustarint illi mortem. Item, Non resurget, donec atteratur cælum, ita hoc significat ante non esse resurrecturum, vt tamen intelligi patiatur, quod tum saltem resurget. Atterendum enim cælum, quia transibunt cæli,
Lucæ 21. sicut habet Euangelium, ac tunc communis omnium resurrectio futura est. Idcirco id quod legi-

legitur apud Isaiam; Non dimittetur vobis hæc iniquitas, donec moriamini, quamuis colligendum quis putauerit Aretio similis, Nunquam ergo remittetur (vbi non audeo adiūgere, quod Aretiana interpretandi ratio postulabat, quia nunquam moriemini) Ea tamen phrasis ita significat, non remittendum eis antè mortem, sed iram Domini vsque ad mortem esse duraturam in plagis temporalibus, vt tamen incertum relictum sit, num aliquibus illa in morte remissa sit iniquitas, ne pœnas sempiternas paterentur. Quapropter D. Hieronymus, quem phrasim hanc non ignorasse testari posset Heluidius, non dubitauit interpretari sic: Non dimittetur hæc iniquitas vobis, donec moriamini peccato, vt nimirum intelligeremus, tum demum esse dimittendam, cum essent peccato mortui. Ex quibus colligitur phrasim quidem ipsam vtrumuis indifferenter admittere, vt videlicet postea dimittatur, vel non dimittatur; sed ex reipsa horum alterū intelligi: quia enim morimur peccato ad hoc, vt eius fiat remissio, sequebatur ex re, nō ex phrasi; si non dimitteretur donec peccato morerentur, dimitteretur ergo si morerentur peccato. Ita hic quoque cùm dicitur; Non exibis donec reddas, ex vi quidem phrasis non rectè colligas, ergo exibis postquam reddideris. Simile enim esset; Non cognouit donec peperit, ergo postquam peperit, cognouit. Sed quod ex phrasi non colligitur, quæ est ad vtrumuis indifferens, id ex rei natura colligen-

Cap 22.

In epist. ad Sabinianū diaconum.

gen-

gendum relinquitur. Habet autem ratio & natura iustitiæ, vt postquam quis plenè reddiderit quod exigebatur, tum liber euadat: sed non id exigebat rei natura, vt postquam Maria peperisset, tum cognosceretur à Ioseph o. Cum igitur illis verbis, Non exibis indè donec soluas nouissimum minutum, neq; significetur quod non sit persoluturus, & ex rei natura intelligendum relinquatur quod sit exiturus si persoluat, perspicuum fit, nihil impedire quo minus ad Purgatorium quoq; hoc ipsum accommodetur, vbi sunt animæ quæ soluunt in pœnis quadrantem nouissimum; & quia persoluunt (neque enim damnatæ sunt nisi ad pœnam finiendam) profectò sunt aliquãdo egressuræ. Ac reuera si attendimus, tale quiddam reperiemus hic concepisse D. Ambrosiũ, nempe exitum esse & liberationem persoluto quadrante, sic enim ait: Quadrantem autem in balneis dari solere reminiscimur, cuius oblatione vt illic vnusquisque lauandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi; quia vniuscuiusque peccatum suprascriptæ genere conditionis eluitur, cum tamdiu exercetur noxius pœnis, vt commissi supplicia erroris expendat. Sic Ambrosius in Lucam, declarans & quadrantem solui posse, & eius oblatione peccatum elui atque purgari. Quid igitur est Areti quod loqueris & non intelligis? *Vt illic perpetua manet virginitas integra, ita hic perpetua manet debitĩ solutio, sine spe egrediendi.* Vellem explicares quid

quid ſit illud tuum [Manere] Si enim intelligis manere virginitatem Mariæ perpetuam, quia benè conſiſtat cum illo ſcripturæ loco quem proferebat Heluidius, neque poſſit inde concludi quod eam maritus cognouerit poſteaquã peperit, iam tibi oſtendi locorum iſtorum differentiam non ortam ex phraſi, ſed ex ipſa natura rerum. Quamuis enim benè cõſiſtat cum illo loco, vt Ioſeph non cognouerit Mariam poſteaquam peperit, quia nulla eſt rerum conſequentia neceſſarium, vt cognoſcatur vxor poſt partum, tamen cum hoc loco non conſiſtit, vt perſoluat reus nouiſſimum quadrantem, & tamen non liber abire ſinatur. Si autem intelligis, manere, quia inde ſtatuatur atq; concludatur, falleris in vtroque loco; quia neque ex priore poteſt concludi perpetua Mariæ virginitas, ſatiſque nobis eſt, ſi inde non poſſit expugnari; neque ex poſteriore ſimiliter concludi poteſt, quod vis, eſſe perpetuam debiti ſolutionem ſine ſpe egrediendi.

Pergis tuam munire cauſſam, & addis Chriſtum expreſsè hic loqui de culpa, atque hoc vt probes, ſubiungis. *Nam qui in cauſſa ſuccumbit, & eſt inferior, is ſolet mancipari carceribus.* Neque tamen ignoras ſubindè à principe etiam caſtigari filium carcere, quem nolit exhæredare. Succumbit quidem in cauſſa, & ideò propter offenſam contractam dignus ſupplicio eſt: ſed nunquid hinc conſequens eſt carcerem eſſe debere perpetuum ſine vlla ſpe egreſſionis?

Non

Non ergo euincis, Areti, Christum hic de culpa, siue de sempiternæ damnationis reatu loqui: qui & si solutus sit, tamen restat adhuc vbi succumbamus necesse est, si volumus iudiciũ experiri; restat omnino, vnde sit actoris nostri, hoc est, legis accusatio metuenda, nisi studiosè satisfaciendo cum ea concordemus. Quod qui prætermittunt in hac vita, ij post mortem iudicium subeunt, & in carcerem rapiuntur, cõclusique & constricti tenentur donec persoluerint. Ac spem quidem habent salutis & hæreditatis, quia filij sunt; & tamen adhuc puniuntur, quia seipsos in hac vita legi concordando minimè punierunt. Hæc abs te animaduersa esse Areti, potius oportuit, quã ea proferri figmenta tua, quæ etiam Augustinum, si superis placet, animaduertisse subiungis. *Hæc animaduertens*, inquis, *Augustinus, interpretatur hunc locum, Donec solueris, eodem pacto, vt illud Matthæi 1. Donec peperit.* Quem Augustini dicas locum nescio. Certè vbi ex professò interpretatur ista Domini verba, hanc loci illius similitudinem non adhibet; quam etsi adhiberet, non tamen sensus esset quem tu imperitè prætendis, Donec solueris, Donec peperit, id est, nunquam. Neque enim, quod iam dictum est, locus ille probat perpetuam Deiparæ virginitatem, sed tantum huic non aduersatur, quod falsò Heluidius sibi persuadebat. Neque enim aliud dicitur, quam non cognouit eam vsque dum pareret suum primogenitum; vnde non

Libro 1 de verb. Dñi.

non ſequitur, ergo poſt cognouit. Ais quod de pœnis æternis loqui affirmat Auguſtinus Chriſtum: Ne id quidem ſic expreſſit loco memorato: ſed in eo libro qui ſcriptus eſt de ſalutaribus documentis, quem neque eſſe Auguſtini, neque eo dignum, qui mediocriter eſt in illius viri libris verſatus, intelligit, hic tuus, Areti, commentarius reperitur. Nec verum eſt D. Hieronymum, quod etiam imprudẽter attexis, allegoricum hic ſenſum repudiare: Eum enim qui de diabolo apud Ambroſium eſt, non repudiat, ſed eum improbat, quem multorum eſſe dicit de carne & anima, vel de anima & ſpiritu. Non diffiteor interim eſſe qui de gehenna interpretentur. Sic enim Fulgentius: Aduerſarium, inquit, homo ſibi facit Dei verbũ, quamdiu illa facit, quæ diuinus ſermo prohibet; cui dicitur in pſalmo: Tu verò odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos poſt te. Huic ſermoni diuino ſi quis in via, hoc eſt, ſi quis in hac vita citò conſentiens non fuerit, miſſus in carcerem ignis æterni, vltra requiem non habebit. Sic igitur ille: ſic & Theophylactus & alij nonnulli. Ex quo ſi quid effici poteſt, illud erit, locum citatum non conuincere de Purgatorio; ſed aliud eſt quid dicas non conuincere, quoniam aliter accipi poſſit; aliud quid dicas non poſſe ſic exponi: hoc enim tu contendis ad Purgatorium referri non poſſe; Nos oſtendimus tuarum rationum nullam impedire, quo minus id fiat; quin ſi diligenter attendimus, non

Cap. 54. in fine.

Libro 1 de peccatorũ remiß. c. 4.

Pſal. 49.

In Lucæ caput 12.

diuersa illa expositio est quæ gehennæ mentionem facit, sed loci huius sensus quidam partialis seu dimidiatus: vtrumque enim comprahendit vocabulum carceris, videlicet purgatorium, & infernum, hoc est, & carcerem perpetuum, & temporaneum. Si quis enim non concordauit in via cum aduersario, id est, cum verbo, legem implendo, vitæque deprauatos mores corrigendo, is mittetur in carcerem, quem sit perpetuum habiturus; Qui verò vitam quidem iam melius viuendo correxerit, sed tamen pro admissis non se castigauerit, neq; ex ea parte concordarit cum aduersario, carcerem quidem & ipse est habiturus, sed temporaneum. Atque de vtroque verè dixeris, quod indè non exibit, donec soluerit nouissimum quadrãtem: sed hoc est discriminis, quod is qui carcerem habet perpetuum, non persoluet, ideoq; nunquam exibit; qui verò carceri addictus est temporaneo, non exibit quidem nisi soluerit, sed quoniam persoluet per seipsum patiendo, aut etiam per alios, quorum hic satisfactionũ auxilia meruerat, idcirco exitum aliquando est habiturus.

Addere te dicis colophonis loco, allegoriam etiam perspicuam nihil probare: quod miror vbi didiceris, cum Apostolum cõstet in epistola ad Galathas argumento vti ab allegoria petito; *Capite 4.* aduersus eos qui sub lege esse volebant; Dicite, inquit, mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quoniam Abraham duos

duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Et mox: Quæ sunt, inquit, per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta. Ac deinde subsumit; Nos autem secundum Isaac promissionis filij sumus: Et postremò concludit; Non ergo debemus esse serui sub lege. Valet igitur ad aliquid concludendum perspicua & probata allegoria: quod nisi vos quoque persuasum habuissetis, non vobis tam aptè seruissent pelles Esau, quibus Iacob indutus est, ad externam illam & imputatitiam iustitiæ rationem constituendam. Possumus & hoc dicere, Veteres eos, qui sic interpretati sunt, vt ad legẽ aut diabolum sermo pertinuerit, nõ allegoriam tradere, sed literalem sensum, metaphoricum tamen voluisse exprimere: cuiusmodi sensum, grauissimorum præsertim authorum iudicio & vsu probatum, dici non potest, vim nullam habere probãdi. Sed tempus est, vt ad scripturam aliam veniamus, videamusque illam nobis vtrum Aretius extorqueat.

Satísne magnam vim habeat ad Purgatorium probandum locus Matthęi 12. & Lucæ 12. de peccato in Spiritũ sanctum, quod dicatur non remittendum in hoc sæculo neque in futuro.

CAPVT XIII.

M*Atthæi*, inquit, *12. & Lucæ 12. Christus agens de peccato in spiritum sanctum, ir-*

remiſſibile illud facit in hoc & futuro ſæculo. Ex eo concludunt; Sunt ergo alia peccata remiſſibilia hîc, & in futuro ſæculo. Sed quam malè id ſequatur, perſpici poteſt ita: Eſt quoddam peccatum hîc, & illic irremiſſibile, ergo eſt etiam quoddam hîc & illic remiſſibile. Conſequens quia nulla connexione neceſſariò cohæret, & conuerſio etiam mala cum ſit, nihil faciunt. Sed locus apud Lucam ſimpliciter ſine diſtributione habet: Non remittetur ei. Quæ verba αὐξετικῶς *Matthæus explicuit diſtributione facta; Neque hîc neque in futuro ſæculo; Quaſi dicat; alia peccata remittũtur hîc, vt peccatum in filium hominis: At illud ne hic quidem, Conſequens ergo eſt, nec in futuro remitti. Si enim leuiora hic remitterentur, grauiora autem illic poſſent remitti, ſupereſſet aliqua ſpes malis. At contra ſequitur, hic ſolum alia remittuntur peccata, illud autem grauiſſimum peccatum in ſpiritum ſanctum, non ſolum hic non remittitur, ſed nec illic quidem, ergo caueri eò diligentius debet.* Hæc ille.

Facilè vincis, Areti, cum hoſtem armas ipſe pro tuo arbitrio. Si enim argumentum hoc noſtrum eſt, quo nos vti dicis: Eſt quoddam peccatum hîc & illic irremiſſibile, eſt ergo etiam quoddam hîc & illic remiſſibile, haud ægrè patior vt id concludere neges. Nam quid ſi ſolum eſſet peccatum in ſpiritum ſanctum? Haberemus antecedens verum, falſo conſequẽte: Eſſet enim quoddam irremiſſibile in hoc & in futuro, & nullum eſſet remiſſibile in vtroque. Non ergo

ergo noſtrũ hoc argumentum eſt : ſed dicimus Chriſtum non leuiter, non ridiculè, nõ ſine ratione graui, diſtributione illa vſum, neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro peccatum remiſſum iri. Sicut autem ridiculè & ſine ratione ac pondere dictum eſſet, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſi nullum eſſet futurum ſæculum, ſed prætereunte figura mũdi huius, omnia prorſus interirent: ita ſine ratione & ſuperfluo dictum à Chriſto eſſet, neque in hoc ſæculo, neque in futuro eſſe remittendum, niſi aliqua peccata in futuro ſæculo remitterentur. Duplex quippe in illis verbis facta diſtributio eſt; vna ſæculorum præſentis & futuri; alia remiſſionum quarum altera hic fiat, altera in futuro. Sicut igitur prior nullum eſſet habitura locum, ſi nullum eſſet ſæculum futurum: ita neque poſterior, ſi nulla fieri poſſit delicti remiſſio niſi in hoc ſæculo. Qui ergo ſic loquitur non inconſideratè & leuiter, ſed ſeriò prorſus & grauiter, vt dicat eſſe peccatum, quod neque hîc, neque in futuro ſæculo remittatur, is profectò ſicut aliquod ſæculum futurum, ſic aliqua ſignificat remitti peccata in futuro. Ideoq; D. Auguſtinus non dubitauit ita ſcribere: Neque enim de quibuſdam veraciter diceretur quod non eis remittatur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent quibus etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro. Cur autem non veraciter ita diceretur, niſi quia non ſubeſſet ſermoni, quod ipſe tamen præ ſe ferret? Ac ne eam cogita-

D. Auguſt. libro 21. de ciuita. Dei cap. 24.

gitationem semel duntaxat Augustino venisse in mentem arbitreris, legis & hoc apud eundem lib.6.contra Iul.c.5. Peccata quidem nulla remittuntur in regno, sed si nulla remitterẽtur in iudicio illo nouissimo, puto quod Dominus non dixisset de quodam peccato; Non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro. Sic Augustinus. Cui & Archiepiscopus Hispalensis Isidorus consentiens sic ait; Cùm Dominus dicit: Qui peccauerit in Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro, demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda. Hæc Isidorus. Præterea dicitur hoc à Christo Domino, vt exprimeret nobis singularem eius peccati perniciem atque grauitatem; qua differat ab alijs, quæ peccata esse dicuntur in filium hominis. Si igitur eo differre voluit peccatum in Spiritum sanctum tanquam perniciosius ac grauius ab reliquis peccatis, quod illud neque remittatur in hoc sæculo, neque in futuro, nónne consequens est, vt intelligi debeat de cæteris quæ minora sunt, remissionem obtineri posse in futuro? Alioqui paria in hoc sunt omnia, quod in futuro remitti non possint; nec vlla relicta est alia differẽtia quã quod illud in spiritum sanctũ nõ remittatur in hoc sæculo; alia in hoc sæculo remitti possint. Vt quid igitur additum: Neque in futuro? quid id pertinebat ad rem, si nihil omnino ad discrimen faciebat? Hoc spectans B.Gregorius: In hac, inquit, sententia

Libro 1 de Ecclesiasticis officijs cap 18

Lib 4 Moral. cap. 39

tentia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen vt prædixi, inquit, hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est. Beda quoque Venerabilis, cum in Marci caput tertium cõmentatur, quamuis nõ nesciret eandem esse Marci & Matthæi sententiam de non remittendo eo peccato quod in Spiritum sanctum admissum est, tamen quam haberẽt Matthęi verba vim peculiarem propter distributionẽ, ipsissimis quæ ante posita sunt Gregorij verbis diligenter expressit. Hoc idem & Philippus presbyter intelligens Dominicis verbis, quemadmodum à sancto Matthæo referuntur, significatum esse, sic planissimè cõmentatus est lib. I in Iob, ad caput 12: Inter hos, inquit, conflictus subtilissimis insidijs in homine dimicãtes, quæ insidiæ ita aliquoties quasi sub specie boni obductæ sunt, vt fortassis discerni vix possint, vbi & ipsa ignorantia peccatum habetur, potest fieri, vt aliquis sanctorum hinc ita subitò exeat, vt minus purgatus à talibus, id est, à minimis delictis velut imparatus abscedat, quæ illi ibidem à misericordissimo Domino concedantur. Quod autem in illo iudicio quædam peccata donentur, ipsius Domini indicare videtur authoritas in Euangelio, vbi ait: Qui autem blasphemauerit in spiritum sanctũ, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro:

Vbi hoc intelligendum, quod aliqua exigua præualentibus magnis operibus, vel ſanctorum interceſſionibus remittantur: Secundum hoc ergo Domini dictū ſunt debita quæ illic donāda ſunt, vbi peccatum blaſphemiæ ſpiritus non memoratur: Non enim diceret Dominus, hoc peccatum non remittetur, ſi alia peccata illic non remitterentur. Quæ ſint autem illa peccata, vel cuiuſmodi ſint, ſolus Deus nouit, qui ea remiſſurum ſe eſſe promittit. Secundum hunc ſenſum eſt & illud, quod Apoſtolus de
2.Timo.1. Oneſiphoro ait: Det illi Dominus inuenire miſericordiam à Deo in illo die. Sic ille de E-
Serm. 66. uangelij loco. Senſum eundem D. etiam Ber-
in Cantica. nardus concepit ex iiſdem Euangelij verbis: Nam ſi non credunt, inquit, ignem purgatorij reſtare poſt mortem, quærant ab eo qui dixit quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittitur; cur hoc dixerit, ſi nulla manet in futuro remiſſio purgatione peccati? Vidéſne quemadmodū hanc illi diſtributionem expēderint? Nimirum hoc ſtatuētes pro certo noluiſſe nobis illudere Chriſtum, vt ſignificationē daret non ſolum alterius ſæculi, verūetiam remiſſionis in altero ſæculo, cum tamē nihil tale ſubeſſet. Idcirco & Petrus Venerabilis, ipſis Bernardi tēporibus, pius Abbas & vir eruditus, aduerſus errores differēs cuiuſdam Petri de Bruis negantis viuorū ſuffragia defunctis prodeſſe, hoc eodē vſus eſt argumento: Quādo enim, inquit, de blaſphemia ſpiritus

loquens

loquens ait: Qui dixerit verbum contra ſpiritum ſanctum, non remittetur ei, &c. oſtendit veniam quidem peccatorum in hoc ſæculo ſemper dignis cōcedi, remiſſionem tamen pœnarum quas peccata exigunt, in futurum ſæculum aliquando differri. Eſt hocipſum, quod ſupra D. Fulgentium in ijſdem Euāgelij verbis intellexiſſe monſtrauimus; nō aliqua videlicet mortalia in futuró remitti, quę hic remiſſa non ſint, ſed quæ hic fuerint cōdonata quoad culpā ſiue quoad reatum damnationis æternæ, poſſe remitti in futuro ſæculo, ſecundum reſtantes pœnas. Itaque in futuro ſæculo leuia quidem minimaque peccata remitti poſſunt, velut ſermo aſſiduè otioſus, immoderatus riſus, peccatum curæ rei familiaris, ſicut intellexit D. Gregorius, & peccata etiam grauióra hic ſecūdum culpam remiſſa, illic poſſunt ſecūdum pœnam, quę reliqua erat, plenius aboleri, quemadmodū D. Fulgentius ſignificauit. Quæ quidem peccata quamuis mortalia ſunt, quia tamen de pœna eis debita quod ſupereſt, temporaneum eſt ac leue, ſi cum æternitate ſupplicij conferatur, ideo ſub minimis ac leuioribus peccatis ab alijs ſunt comprehenſa, quod pro talibus habeantur ea, quæ ſupplicio duntaxat temporario digna iudicantur. Habes igitur Areti grauiſſimos authores non paucos, quibus aliqua fuit occaſio diſtributionis huius attingendæ, in eo intellectu & verborum dominicorum ſenſu conformes, vt aliquam fieri conceperint peccaro-

rum remiſſionem in ſæculo futuro. Neque verò quod apud Lucam ſimpliciter ac ſine diſtributione dictum ſit [Non remittetur ei] tibi profuerit, vt vim diſtributionis eius quæ apud Matthæū expreſſa eſt, effugias. Quamuis enim idem ſit reipſa dictum ab vtroque, multum tamen intereſt, quo modo & quibus verbis expreſſum ſit. Qui dicit Chimærā neque in cælo eſſe neque in terra, neque alio vllo elemento, is idem dicit quod alius, qui diceret nuſquam eſſe, & tamen ſuæ ille diſtributionis ita debet reddere rationem, vt non fruſtra dixiſſe videatur, Neque in alio vllo elemento: quod profectò fruſtra & ineptè additum eſſet, ſi palàm eſſet nullum extare aliud elementum. Atq; vt cauſſę huic affinius de ſcriptura diuina promatur exemplū, eadem reipſa ſententia eſt, ſi dixeris breuiter: Nullus poterat aperire librum & ſoluere ſignacula eius, cum ea quæ expreſſa eſt Apocalyp. capite 5: Nemo poterat neque in cælo neque in terra neque ſubtus terram: ſed ſi ſubtus terram nullus eſſet aut fuiſſet vnquam ſpiritus à quo tale quiddam non abſurdiſſimè expectari potuiſſet, quis in ea diſtributione tertij membri additionem non protinus eſſe diceret otioſam? Neque ergo quicquam profuerit quod adiungitur, voluiſſe hoc idem Matthæum αὐξητικῶς facta diſtributione explicare. Nam etſi homines interdum pro ſua vanitate faciant αὐξήσεις vſque ad mendacia, vel certè cum ridicula quadam ineptia, tamen à Domini

mini & Euangelij verbis longè id alienum esse credendum est. Atqui non veraciter, vt Augustinus ait, dicturus erat Dominus; Neque in hoc sæculo neque in futuro, nisi aliqua futura esset post mortem peccatorum remissio. Vt ergo donemus isti, Christum per auxesin distributione vsum esse, cùm diceret; Neque in hoc sæculo neque in futuro, tamen ea necesse est grauis & apta sit, cuiusq; ex omni parte ratio reddi possit, maximè vero talis, vt in ea nulla insit falsi significatio. Si quis interrogatus, num quem vidisset Pigmæum cum grue pugnantem, responderet per auxesin, neque sub cælo neque supra cælum quemquám talem vidisse; quam, rogo te, satis aptam rationem redderet, cùr supra cælum neminem se vidisse dixisset, cum illic neque esse, neque videri à mortalibus tale quicquam possit? Sed laborat Aretius, vt suam auxesin liberet à mendacio. Ita enim expressit eam quasi diceretur; Alia peccata remittuntur hic; at illud, ne hic quidem: Et tamen qui sic loquitur αὐξητικῶς, vt dicat, peccata distinguens, aliquod esse quod ne hic quidem remitti possit, nónne tibi significare videtur alibi quoque quam hic, fieri posse peccati remissionem? Quid enim est [ne hic quidem] nisi non solũ non in altero sęculo, sed ne in isto quidem? Quemadmodũ qui dicit, Vir iste sic est oppressus languore, vt nec medicinam quidem ipsam admittat, is significat non solum cibum ab eo non admitti, sed ne medicinam quidem qua

curari

curari poſſit. Id quod diſtributionem haberet ridiculam & otioſam, ſi nihil præter medicinam recipi à quoquam poſſet. Sic & iſte ſermo; ne hic quidem remittitur illud peccatum, diſtributionem inſinuat otioſam & ineptam, ſi alibi nulla poteſt fieri peccatorum remiſſio. Quod ſi nihil aliud tuum illud (Ne hic quidem) ſignificet, quam (Non hic) vt dictum ſit alia peccata hic remitti, illud verò hic non poſſe; tum neque diſtributio, neque αὔξησις eſt, cum ſit vehementius illud apud Lucam: Non remittetur ei: & apud Marcum; Non remittetur in æternum, quam iſtud; Non remittetur hic. Quod verò addis colligendo; Nec ergo in futuro ſæculo, id neque auxeſin habet; quoniam maius eſt, hic non poſſe remitti, vbi propriè tempus eſt remiſſionis quam illic, vbi nulla ſolet dari remiſſio. Sicut auxeſin nullam haberet quod diceret aliquis, vina Reneſia neque in Germania eſſe, neque in Brabantia: hoc ſenſu: Non in Germania, neq; ergo in Brabantia, cum nihil mirũ ſit in Brabantia nõ eſſe, ſi in Germania non fuerint. Sed neque explicat hoc diſtributionem, quia diſtributio non eſt ratiocinatio. Nec enim Chriſtus argumentatur, & aliud ex alio colligit, cùm dicit; Neque in hoc ſæculo, neque in futuro, non plus omnino, quam ſi quis dicat, Neque in cælo, neque in terra plures eſſe deos. Rurſum, ſi tuum illud [Ne hic quidem] id ſignificat quod debet, hoc eſt, non ſolum non alibi, ſed ne hic quidem; non

ſolum

ſolum non in futuro ſæculo, ſed nec in iſto, vidéſne quam nugatoriè colligas illud; ne hic quidem remittitur, ergo nec in futuro? Eſt enim perindè atque ſi dicas planius, Non ſolum non remittitur in futuro, ſed nec in iſto quidem, ergo nec in futuro. At ſi per nullam auxeſin dici voluiſti [Ne hic quidem] ſed tãtum non eſſe hic remittendum; qua cohærentia, & quo nexu propoſitionum conſequens eſt, Non hic, ergo non in futuro? Simile enim eſt hoc, quod ſcis vitioſiſſimè dici: Non eſt hic regnum beatum, ergo nec in futuro ſæculo: Non eſt hic anima Petri, ergo nec in cælo. Iam ea rogo, quæ conſequenter adiungis, expende mecum & vide, vt in diuerſum tua iactetur oratio, quia relicto ſenſu verborum plano & obuio, certi nihil habet quod ſequatur. *Contrà*, inquis, *ſequitur: Hic ſolum alia remittuntur peccata; illud autem grauiſſimum peccatum in ſpiritum ſanctum non ſolum hic non remittitur, ſed nec illic quidem, ergo caueri eo diligentius debet.* Prius auxeſin tuam in illo poſueras [Ne hic quidem] nunc exprimis eandem per [ne illic quidem] indeque colligis, caueri ergo diligentius oportere. Cur debet caueri præ alijs diligentius, quia nec in futuro quidem ſæculo remittitur? An vllum eſt ergo aliud quod poſſit in futuro ſæculo remitti, ſed iſtud non poſſit? Si enim nullum eſt peccatum quod poſſit remitti in futuro ſæculo, ex ea ratione omne peccatum æquè atque iſtud caueri debebit. Laqueos veritatis Areti laborioſiſſimè

ſiſſimè fugis,& tamen incurris in eos, velis nolis, nec te ijs, quæ tua eſt infelicitas, capi ſinis. Quid enim aliud tua iſta ſignificat explicatio, quam aliquam fieri poſſe quidem remiſſionem in futuro, ſed huius peccati in Spiritum ſanctũ tantam eſſe perniciem, vt nec illic ſperari eius remiſſio poſſit? Conſequimur ergo quod volumus te iudice, nec video cuius gladio certius vinci quam tuo potueris. Expeditior & minus implicatus videri poterat aliorum commentarius, vt dictum ſit: Non remittetur neque hic, neque in futuro ſæculo, hoc eſt, punietur & hic & in futuro, cum videlicet cætera quæ tam grauia non ſint ſæpenumero hic non puniãtur, ſed eorum per Dei patientiam, vſque ad futurum ſæculum pœna differatur. Verum abſurdè omninò ſtatuitur iuxta hanc commẽtandi rationẽ, remittere peccatum valere idem quod non punire, in hoc ſæculo præſertim. Quis enim dicat remitti peccata ijs hominibus qui in ipſis permaneant? Et vbi alias ſic accipitur remittendi verbum? an, quod Apoſtolis dicitur, Quorum remiſeritis, id eſt, quos non punieritis? Et quod dicit Chriſtus paralytico, Remittũtur tibi peccata tua, idem erit, quod non puniuntur, cum adhuc ipſa paralyſi punirentur? Multi præterea blaſphemi, & ſuis blaſphemijs peccantes in Spiritum ſanctum, quales erant Phariſæi, non puniuntur in hoc ſæculo, ſed opibus & bonis omnibus florent vſque ad mortem: & e diuerſo multa ſunt alia peccata, quæ & hic vindicantur

& in

& in futuro sæculo; cum tamen hoc de peccato in spiritum sanctum peculiariter dictũ sit quod neque hic remittetur, neque in futuro. Sed isti commentario fauere Chrysostomus credi possit, cuius propè talis esse videatur explanatio. Verum cum dicat inter cætera Chrysostomus Christi verba interpretans: Quæ omnia si pœnitentiam gesseritis penitus dimitto, satis ijs verbis declarat, se remissionem intelligere, qua reatus peccati dissoluitur per pœnitentiam, non qua in peccato manẽtibus temporaliter duntaxat parcitur. Cum teneamus igitur firmissimo scripturę testimonio, vnde ridiculis tantum conatibus sese aduersarius expedire nititur, remissionem aliquam peccatorum ad futurum quoque sæculum pertinere, quæro iam vbi illa futura remissio est? in inferno reproborum? sed ibi nulla vnquam est speranda redemptio. In cælo & regno illo beato? sed eo nihil coinquinatum introibit; nihil ergo non purgatũ prius. Restat igitur vt purgatorius aliquis constituatur locus vbi fiat hæc remissio peccatorũ. Et hactenus quidem de illo scripturæ loco dictum sit.

Pertineátne quicquam ad Purgatorium construendum, quod scriptum est de Lazaro & diuite. CAP. XIIII.

L*Vca*, inquis, 16. *de Lazaro & diuite historia est, ex qua Purgatorium construunt. Verum apertè illud tollit: nam duo tantum agnoscit*

noscit loca, sinum Abrahæ in quo lazarus est, & infernum in quo diues torquetur. Nullus est medius locus nisi chasma quoddam in quo nulla sunt animæ. Inane igitur erit Purgatorium. Deinde, diuiti negatur omnis expiatio, omne auxilium ab Abrahamo & Lazaro. Præterea diues pro se aut mortuis nulla petit officia, sed pro viuis solum est solicitus, quæ omnia Purgatorio repugnant. Adde quod solum parabolica sit narratio, non historia. Sed etiamsi des historiam esse, nihil iuuat Purgatorium. Diuus Iustinus martyr quæstione 66. ex historia illa Lucæ 16. colligit doctrinam Purgatorio planè repugnantem, quod videlicet hominibus non sit speranda redemptio postquam semel hinc emigrauerint. Hæc ille. Eum Lucæ locum Areti, an quisquam trahat ad Purgatorium cōstruendum, nescio. Sed si quisquam hoc faceret imprudentius, nihil id caussæ nostræ præiudicaret, vt propterea deberet infirma videri, quod ab aliquibus non benè defenditur. Bonas enim caussas malè quidam agunt, neque hoc tamen æquitati præiudicat. De Pompeio dictum est à Cicerone quod malas caussas semper obtinuit, in optima concidit. Sunt autem nonnulli qui dum in assertionis suæ confirmationem incumbunt, vndecunque congerunt omnia, quæ ad rei propositæ probationem facere posse videantur. Quo in studio facilè accidit, vt firmis infirma, & probabilibus minus interdum probabilia permisceant. Vbi si de caussa iudicare quis velit, non hæc illi erit

æsti-

æſtimãda ex ſingulis, ſed ex potioribus ac pluribus: Quin & ſi in vnum quempiam incideret, qui nihil idoneum, nihil validum ſatis proferret, ne tum quidem eſſet ei cauſſa damnãda. Quis enim malè pugnatum in acie dicat, propterea quod vnius atque alterius fortè militis depræhenderit ignauiam? At ſi neminem ex omnibus quos vel legerit vel audierit ſtare pro cauſſa de qua agitur ſatis fortiter animaduerterit, ſi tum incipiat cauſſæ etiam bonæ diffidere, poteſt is venia dignus iudicari. Sed cum non ignorent iſti firmiſſima Catholicorum argumenta, quæ nequeant, vtcunque ſe torqueant, diſſoluere, tamen ſtudioſè frigida quædam, aut etiam quæ ſint nullarum virium eligunt; quorum vbi traduxerint imbecillitatem, ſperant effecturos ſe apud rudiores quoſque vt cætera eiuſdem farinæ credantur. Hac vſus praxi Benedictus Aretius in eo elaborat, vt id quod ſcriptum eſt de diuite epulone oſtendat ad Purgatorium nihil pertinere. At non neceſſè eſt vt in eo laboret. Scimus ipſi diuitem illum quoniam miſericordiam non fecerit, ſine miſericordia iudicatum, nec in Purgatorio, ſed in gehennæ ſempiternæ loco ſepultum. Medium quoque illud chaos & impenetrabile ſeu potius inſuperabilem hiatum atque voraginem, nihil ſignificare niſi immobile Dei decretum, quo electi à reprobis perpetua ſunt ſegregatione ſeparati, & ideo ſudandum non eſſe vt in eo chaſmate aliquæ animæ reperiantur. Nec tamen veram negamus

gamus esse historiam quam Diuus Ambrosius narrationẽ magis quam parabolam videri scribit, propterea quod Lazari etiam nomen exprimitur: sed quod in historijs explicandis frequens est vt metaphoricis locutionibus quædam expressa misceantur, id quoque hic agnoscimus factũ esse, non modò in vocabulo chasmatis, verumetiam in vocabulo Sinus, quo per tropum secreta quædam significata quies rectissimè cogitatur. Si qui tamen per Sinum Abrahæ proprium quoddam & extremum inferorum receptaculum, tãquam in suprema parte situm (quomodo Tertullianus cõcepisse videtur libro contra Marcionem quarto) atque inter ipsum illum Sinum & Gehennæ locum mediam profunditatem & voraginem quãdam veram, in qua purgandæ animæ tenerentur, intelligant, non eis resisto, modò ne hac non certissima imaginatione rem fidei probare nitantur. Quod autem addis Iustinum martyrem indè colligere doctrinam Purgatorio planè repugnantem, quia doceat hominibus nullam esse redemptionẽ sperandam posteaquam hinc emigrauerint, hoc aut nescire te quæ sit catholica doctrina demonstrat, aut certè id fingere. Quis enim dicit catholicus ei qui redemptus hic non fuerit, sperandam esse aliquam redemptionem cum hinc migrauerit? Tunc enim propriè quisque redimitur, cum ei ad ipsius iustificationem, prętium applicatur Dominicæ mortis, cum ex eo princeps mundi huius eijcitur

tur foras vt captiuum non teneat,qui tranſlatus ſit de tenebris in lucem, de ſtatu iniquitatis in ſtatum iuſtitiæ, de morte in vitam. Id quod ſi in hac mortali vita præſtitum non ſit, non eſt quod poſt mortem expectetur. Plenior autem liberatio ſiue redemptio ſi ſperanda poſt hanc vitam non eſſet, non diceret beatus Apoſtolus, Sed & noſipſi primitias ſpiritus habentes intra nos gemimus adeptionem filiorum Dei expectantes redemptionē corporis noſtri: Spe enim ſalui facti ſumus. Eſt igitur in hac vita quædam iuſtorum redemptio, de qua ſcriptum eſt; In quo ſignati eſtis in die redemptionis veſtræ. Et apud Petrum; Redempti prætioſo ſanguine agni immaculati de vana conuerſatione paternæ traditionis: quæ redemptio ſi hic non contigit, nulla poſtmodum erit; eius verò perfectio datur poſt hanc vitam, ſiue cum plenius liberamur à pœnis antè magnum illud extremumq; iudicium, ſiue etiam cum corpus corruptioni datum ad beatam immortalitatem recipimus. Quantum enim quiſque à peccato & malo liberatur, tantum redimi dici poteſt: Vnde & illud ſcriptum eſt in Pſalmis: Qui redimit de interitu vitam tuam. Et apud Diuum Ambroſium cap. 24. libri de fide Reſurrectionis; Deſcendebat in infernum Chriſtus alios redempturus.

Rom. 8. *Ephes. 4.* *1. Petri 1.* *Pſal. 102.*

Locus Apoſtoli de quorũdam per ignem probatione & ſalute, quomodo accipiendus ſit. CAP. XV.

SEquitur, inquit, *Locus primæ Corinthiorum tertio, Si cuius opus exuſtum fuerit damnum patietur: ipſe ſaluus fiet ſed tanquam per ignem.* Ad hunc ergo locum reſpõdens. *Certum eſt*, inquit, *allegoricè hic ignem poni, cum prius de doctrina miniſtrorum eſſet locutus, per allegoriam ædificantium & ſuperſtruentium aurum, argentum, pratioſos lapides; lignum, ſtipulam, quæ omnia ad diuerſas doctrinas retulit: quare examen & probatio doctrinarum hic ignis erit; Reſtat igitur nihil hinc inferri poſſe pro Purgatorio conſtituendo. Ac quod pertinet ad interpretationem loci illius, verum quidem eſt alios alium intelligere ignem, tamen ſenſum literæ vident eſſe de examine doctrinarum. q. d. non ſatis eſſe, nobis placere noſtra dogmata, aut etiam hominibus arridere, ſed eſſe neceſſum vt etiam cenſuram diuini iudicij ferre poſſint. At certum eſt quod dicit Aug. hũc ignem communem eſſe debere & bonis & malis, ideoq; Purgatorius eſſe non poteſt: Minus gehennæ ignis, vt vult Chryſoſt. nam dura eſt & coacta interpretatio; Ipſe autem ſaluus erit, hoc eſt, in gehennæ tormentis non conſumetur, ſed manet ſaluus quoad eſſe, ſed pœnis ſemper cruciatur. Apoſtolus enim vult dicere, quoſdam ſuperſtruere fundamento poſito quod eſt Chriſtus, paleas & ſtipulas, hoc eſt, aliena à veritate, quæ cenſuram indi-*

iudicij non possunt ferre, ideóque illa exurentur per ignem illum diuini iudicij. Ipse autem minister aut doctor non damnabitur, propterea quia mansit in fundamento Christo. Opus autem suum videbit exuri, quia humanitus quædam affinxit, & saluabitur quasi per ignem, hoc est, pudorem iustum, quod videt damnari, & errore seductum alios eadem docuisse. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 26. affert huius loci quadruplicem explicationem. Primum, per ignem hunc intelligi posse præsentes afflictiones & dolores quos capiunt homines ex amissione bonorum, quæ tamen nomine Christi deserunt, licet dolenter, qui dolor non malè dicitur ignis. Secundo, de igni diei Domini, qui per ignem reuelabitur; in quo boni persistent, videbunt autem multa exuri & damnari quæ approbarant. Tertio, de intermedio tempore à morte vsque ad nouissimum iudicium, quo tempore quædam delicta puniantur. Sed dubitanter eam proponit, inquiens. Non redarguo, quia forsan verum est. Quarto, de Antichristi tribulationibus, cuius tempora bonos probabunt tãquam ignis ardẽtissimus. In hac opinionum varietate hoc seruandum iubet, vt ignem intelligamus hic bonis & malis communem, qui est (vt diximus) censura diuini examinis quo doctrina ministrorum aut probatur aut damnatur. Hactenus ille.

Quo primum in loco nouitij istius commentarij ostendenda vanitas est, vt deindè Catholicę explicationi commodior esse locus possit. Id autem statuunt ferè nostræ ætatis secta-

rij, ad ministros hæc pertinere solos, neque alios esse qui superædificent super fundaméto Christo, neque aliud intelligendum superædificari quam doctrinam, cuius quidem doctrinæ varietas significata sit nominibus auri, argenti, lapidum prætiosorum; ligni, fœni, stipulæ. Ac de ministris quidem non multò ante constat esse sermonem, de quibus expresse dicitur; Quid igitur est Apollo, quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis. Sed sicuti principio capitis illius tertij, ab ijs quæ populi communia erant & ad omnes pertinebant, transit ad ministros, ita post à ministris ad id redit quod commune erat Ecclesiæ; Dei, inquit, agricultura estis, Dei ædificatio estis: atque inde proximè illa contexuntur quæ scripta sunt de ijs qui superædificant; vt vel hinc quiuis intelligat, ab eo primum istos esse depulsos quod aiunt; Antecedentia propriè pertinent ad ministros, ergo & hæc quæ de superædificando subiunguntur. Non enim quæ proximè præcedunt ministrorum sunt propria, sed pijs omnibus, bonisque Christianis communia; nempe esse Dei agriculturam, & Dei ædificationem. Deindè videndum est, cur pius quisque & ipsa Ecclesia sanctorum sit ædificatio Dei, & quanam ratione in hoc ædificio Christus sit fundamentum; indè enim perspicietur quorum sit superædificare. Est igitur & Ecclesia sancta & homo iustus ædificium Dei atque domus, de qua
Psal. 126. scriptum est in Psalmis: Nisi Dominus ædifi-

cauc-

cauerit domum, in vanũ laborauerunt qui ædificant eam. Ædificatur autem hæc in nobis domus non ſolum perceptione doctrinæ ſalutaris per fidem, verumetiam per charitatem ſtudio bonorum operum, proficiendoq; de virtute in virtutem. Atque in hoc ædificio, vt firmum & ſtabile ſit, neceſſe eſt Chriſtum fundamenti eſſe loco. Idcircò enim comparatur iuſtus viro ſapienti qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, hoc eſt, Chriſtum. Porrò Chriſtus in fundamento eſt, non cum mortua tenetur fide, ſed ea quæ per dilectionem operatur, ſiue cum in corde eſt, non per ſolam doctrinæ perceptionem, verumetiam per charitatis infuſionem qua ille omnibus alijs anteponitur rebus. Iam collocationi fundamenti reliqua debet ſtructura reſpondere, vt ſi Chriſtus in fundamento ſit per fidem & dilectionẽ, ipſa ſuperædificatio non ſolum fiat cognitione creſcendo, verumetiam recta operatione proficiendo. Ex quo illud conficitur, iacto ad prædicationem Apoſtolicæ doctrinæ fidei operatricis fundamẽto, non docendo modò, verumetiam operando ſuperædificari, vt ad omnes omninò pertineat cura ſuperædificandi, quorum eſt ædificationem eſſe Dei, ſicq; eorundem augere in ſeipſis ædificium, quorum eſt ſuſcipere fundamentum. Vnde poſteaquiam dixiſſet Apoſtolus ſe vt ſapientem architectum fundamenta iecisse prædicando, non ſubiunxit, Viderint miniſtri cæteri quomodo ſuperædificent, ſed generatim

Luca 6.

complexus omnes, Vnusquisque, inquit, videat quomodo superædificet. Neque enim agebat Apostolus de doctrinæ structura aut ædificio quodam, quale in libro aut prædicatione cognoscitur, vbi fundamentum est doctrina Apostolica & fides de Christo; sed de iustitiæ & pietatis ædificio quod construitur paulatim in Christianis hominibus, ratione cuius ædificationis Ecclesia domus est Dei. Vnde neque ait, Vos habetis ædificationem Dei in doctrina vobis tradita, vbi à me positum est fundamentum; sed, vosipsi vestrumque singuli estis ædificatio Dei, & agricultura eius. Non igitur monebat Apostolus, viderent Corinthij quæ doctrina super fundamento suæ doctrinæ superædificaretur; sed qui affectus, qui mores, quæ studia, quæ cogitationes, quæ facta & occupationes. Vbi propriè elucet illa auri, argenti, lapidum pretiosorum, ligni, fœni, stipularumq; differentia. Ob eam rem id quod superædificatur, vocat Apostolus opus vniuscuiusque seu hominis opus, propterea quod ab homine sit per liberum eius arbitrium, quamuis non sine gratia, si opus est bonum. Doctrina verò si sancta est & salutaris, & digna quæ auri vel argenti vel pretiosi lapidis metaphora designetur, non opus est hominis sed Dei. Quippè doctrina sana verbum Dei est non hominis, neque libero hominis arbitrio subiecta res est, sed Dei cuius est verbum. Est quidem ipse prædicandi verbi labor & studium, hominis opus, quod à

quibus-

quibusdam superædificatur super fundamento Christo; at ipsum quod prædicatur verbum, seu doctrina salutaris, Dei opus est, non hominis. Neque proindè ipsa doctrina est quæ mercedem accipit aut meretur, sed labor ipse quo doctrina traditur hominibus, eiúsque illustrandæ studium. Atqui beatus Apostolus dicit: Si cuius opus mãserit, quod superædificauit mercedem accipiet. Non ergo doctrina est seu verbum prædicationis (quod non hominis sed Dei verbũ esse debet) id quod superædificatur, sed hominis operatio & affectus, siue hoc in prædicando verbo consistat, siue in audiendo vel legendo, siue etiã in alijs studiorum versetur generibus. Cum etiam ad fundamentũ addat aliquid is qui superædificat, ipsúmque fundamẽtum quod beatus Apostolus posuit sit Dei verbum, nunquid existimandum est, vllam doctrinam voluisse verbo Dei superaddi? Nõne quicquid additur verbo Dei, hoc & vos damnare soletis vt humanum commentum, & plantationem quam non plantauit pater cælestis? Vbi ergo iam erit aurum & argentum & lapis prætiosus qui superædificabitur, cum nulla doctrina superaddita verbo Dei possit ad eum modum commendari, sed omnis reijcienda sit ad ligna fœnum & stipulam? Doctrinam sanam & eam quæ secundum pietatem est, siue ipsum Dei verbum, explicare populis & manifestare licet; augere superædificando non licet. Auget autem ædificium quisquis superædificat &

addit ad fundamentum. Denique vt ostenderet non ad solos doctrinæ ministros pertinere superædificandi curam & delectum, sed ad omnes omninò Christianos, adiungit quod est omnium. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Tanquam profectò diceret; Magna vobis cura prouidendum est, quid in hoc ædificio superaddatis, quidque superædificetis: non enim vulgare hoc in vobis ædificium est, non vile & abiectũ, sed templum est Dei in quo eius spiritus inhabitat, ideoque decet illic prætiosissima quæque superædificari. Et tolerabile quidem si ligna, si fœnum, si stipula superaddantur, quamuis parum est ea decora & malè cohærens superædificatio: Sed si quis violauerit templum Dei grauiora committendo, disperdet illum Deus. Et hactenus quidem dictum sit de superædificantibus, qui sint, & quid sit quod intelligendum sit superædificari. Quamuis de ea parte loci huius non præcipuè contendimus, qui non ignoremus illum sub Ambrosij titulo commentarium, minus certè tamen probabilem, cuiusque magis pondere premeremur, si Ambrosij esset illius Mediolanensis. Ideoque Diuus Anselmus cum hunc non omisisset, illum tamen quem prosequuti sumus, tanquam veriorẽ anteponendum esse putauit. Nunc reliqua expendẽda sunt, videlicet de die Domini, de igne, de probatione, & salute per ignem. Vniuscuiusque opus, ait Apostolus, id est, vniuscuiusque mi-

nistri

nistri doctrina, iuxta hos interpretes, manifesta erit, videlicet an sit aurum, an argentum, an lapis prætiosus; an lignum, an fœnum, an stipula. Omnis enim hæc differentia & proprius cuiusque gradus erit manifestus. Quando, inquis? Dies enim Domini, inquit Apostolus, declarabit. Quid autem esset dies Domini non satis expressit Aretius, tamen cum de igne loquitur, satis ostendit diem Domini intelligere se in hac vita. Vnde suspicor eum accipere diē Domini, quomodo Robertus Stephanus & alij Erasmum Rotterodamum secuti, propter perspicuam operis inspectionem. Sed quæ rogo hic Areti doctrinæ cuiusque tanta manifestatio? Quæ inspectio tam perspicua, vt palam sit omnibus quo quæque præstantiæ gradu sit, aut vanitatis? Si enim quæ aurum est multis videtur lignum, & quæ lapis prætiosus à plurimis adhuc abijcitur vel etiam conculcatur vt stipula; quomodo illud perspicuè apparet quæ digna sit auri nomine, quæque argenti, aut quæ mereatur ligno vel stipulæ comparari? Quomodo ergo hic vniuscuiusque doctrina est manifesta? Quæ Domini dies declarat qualis & quo quæq; loco habenda sit, cum in tantis errorum tenebris hoc sæculo plerique versentur? Vnde etiam de omni ferè articulo doctrinæ Christianæ tot tantæque lites, si manifesta est cuiusque doctrina? An sibi forsitan solis dicent fieri id manifestum? Dies ergo Domini solis ipsis illucescet, solisque ipsis hanc præbebit decla-

declarationem. At non dicit Apoſtolus, Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit quibuſdam, & dies Domini quibuſdam tantummodò declarabit; ſed, manifeſtum, inquit, erit cuiuſque opus, & dies Domini declarabit: Vt taceam quod diem non faciat paucorum inſpectio ad lucernulas, ſed clara lux & vbique refulgens, Quantam lucem doctrinam cuiuſque manifeſtantem omnibus, verumque à falſo per omnia diſcernentem, cum perabſurdum ſit huic vitæ tribuere, tum id ſcriptura non patitur, quæ
2. Petri 1. monet attendere prophetico ſermoni tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec illuceſcat dies & lucifer oriatur in cordibus no-
1. Cor. 4. ſtris; quæ etiã vetat iudicare ante tempus, quoadvſque veniat Dominus qui & illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Vnde intelligimus non in factis modò, verumetiam in dictis & aſſertis eſſe nonnulla ſic latentia in abſtruſo, vt in ijs neminem hic iudicare debeamus. Et quia dicit Apoſtolus diem Domini reuelãdam in igne, iſtoque modo manifeſtaturam cuiuſque opus, videndum quem hic ſui commentarij folle nobis ignem excitẽt. Vbi planè Aretius ſibi non conſtat, ſed modò hoc, modò illud, etiam intra paucas lineas. Semel enim cenſuram & iudicium Dei; ſemel atque id quidem paulò poſt, iuſtum quendam pudorem ſignificatum annotauit. Eraſmus autem & Robertus Stephanus afflictionem vitæ

huius

huius. Verum neque iudicium Dei in hac vita, cuiuſque miniſtri doctrinam quamcũque manifeſtat, quia de multis etiam Catholicorum aſſertionibus quæ fidei nõ ſunt, incertum quid iudicet: neque pudor, quia multi impudenter & ſine omni rubore grauiſſimos ſequuntur & ſpargunt errores: neq; denique ipſa perſecutio & afflictio vitæ huius, quandoquidem aſſertores erroris vſque ad cruciatus acerbos, mortemq́ue ipſam violentam pro ſuis ſententijs decertent, mirabili ſæpè fortitudinis ſpecie, & ideo cum miſerabili deceptione multorum. Præterea dicit Apoſtolus quod per ignem, cuiuſque opus, hoc eſt (vt volunt) doctrina probabitur, ſic vt quæ bona ſit, nihil accipiat detrimenti, quæ falſa & mala exuratur, diuini iudicij cenſuram tãquam ignem ferre non ſuſtinens. Sed hoc rurſum in hac vita impleri, nimia profectò abſurditate ſtatuitur, vbi non minus pro veritate, magna commodorum temporalium detrimenta perpetienda ſunt bonis miniſtris, quam pro errore pſeudoprophetis. Aut quænam illa hic doctrinæ cuiuſlibet vitioſæ exuſtio? quod detrimentum? an quod accuſetur & improbetur à doctioribus, erroriſq́ue damnata repudietur? At catholicam veritatem ipſumq́ue Dei verbum multi tanquam doctiores reprehendunt & accuſant, ſuumq́ue examen quod diuinum eſſe prædicant ſuſtinere negant poſſe. Quã autem multa alia ſunt, quæ examinata cuiuſmodi ſint, certa & non dubia

dubia definitione iudicari in hanc aut illam partem ne à doctiſſimis quidem poſſint? Atqui B. Apoſtolus dicit; Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit, ſuaque illa probatione manifeſtum efficiet, non ſolum quid aurum, quid ſtipula, ſed etiam quid aurum, quid argentum, quid fœnum, quid ſtipula. Iam verò is cuius doctrina, quoniam vana & aliena à vero, ferre non poterit examen hoc diuinum, quomodo ſaluus ſit futurus quaſi per ignem, id crudum ſatis & inexplicatum ac dubium, ab Aretio relinquitur. Etenim quid ſi laboret miniſter aliquis craſſa & inexcuſabili ignorantia rerum ad religionem pertinétium, ex eaque & erret ipſe, & temerarius doctor alios ſecum in errorem abducat? nónne crimen hoc erit & mortale delictum, ſupplicioque, niſi ille reſipiſcat, puniendum æterno? Quonam ergo modo iſte, non fœnum, non ſtipulam quæ leuior eſt, non ligna quæ exuri poſſunt; ſed æs ferrumq; ſeductoriæ doctrinæ ſuperſtruens, ſaluus erit quaſi per ignem, qui ſaluus non ſit futurus? Nam & ſi teneat de Chriſto fidem, quem eſſe mediatorem Dei & hominum credit, tamen alia quędam ad Chriſtum ſeu corpus eius pertinentia non credit, ideoque excidit ab ipſo fundamento, cuius non ſit de Chriſto fides integra. Sit, exempli gratia, Donatiſta, ſit Nouatianus, ſit Pelagianus, aut ſi id malit, Anabaptiſta vel Caluiniſta quiſpiam qui Chriſtum agnoſcit & prædicat. Is ſi habet in fundamento Chri-

ſtum

ſtum, ſaluus erit non obſtante hæreſi ſua. Si autem is ſolus habet Chriſtum in fundamento qui integram de Chriſto retinet fidem, ſed errores interim in leuioribus & ijs quæ præter fidem ac pietatem ſunt imprudens ſerit, patior id quidem vt hic ſaluus dicatur fore; ſed cur per ignem pudoris iuſti, qui bona fide tantaque quanta eſſe humana potuerit diligẽtia, tradiderit doctrinã minimè noxiam imò vtiliter etiam adhortantem? Ac ſi quis erit qui in hoc leuiorum erratorum genere quippiam venialis culpæ contraxerit (quod perpauci effugiũt, catholici alioqui doctores, & eruditi) nec hunc tamen ſpectaſſe videtur, qui & pudoris iuſti & ſeductionis meminerit, quę non niſi in grauioribus doctrinę lapſibus commodè intelligatur. Denique vt ſit cuiuſpiam planè præſtans & aurea ſingulariſque doctrina, ſed eius vita non ſit inculpata, multumque hæreat in moribus vanitatis & flamma dignæ materiæ, hiccine propter ſolam doctrinam ſine detrimento ſaluus erit? Soliúſne rationem habet doctrinæ cenſura diuina? Interpretaris deindè eſſe hunc ignem pudoris iuſti; ſed quam multi ſunt qui de falſo dogmate nunquam erubeſcunt in hac vita? Non enim pudet ſic docuiſſe, non rubore ſuffuſi conticeſcũt, cum ſe putent certiſſimam tenere veritatem. Atqui generatim pronunciat Apoſtolus quod quiſquis ædificauerit ligna, fœnum, ſtipulam, paſſurus in igne ſit exuſtionem operis ſui, ſed tamen per ignem ipſum, ſal-

ſaluus futurus. Addis etiam, quo teipſum tecum pugnare demõſtres, ignem cuius Apoſtolus meminit debere intelligi cõmunem bonis & malis. Nunquid ergo vis vt boni etiam miniſtri, iuſtũ patiantur de ſua doctrina pudorem per quem ſalui euadant? At communẽ, inquis, ignem intelligo cenſuram diuini iudicij: Quid intelligas Areti non video, quid dicas & ſcribas lego. Ignem fingis iuſti pudoris, qui prauè docentium ſit proprius, cum tamẽ (ſi tibi conſtare volebas) eundem, hic, quem prius, ignem oportuerit intelligi; vt eſſet ignis communis bonis & malis, bonis quidem ad laudem, malis ad purgationem. Sed video quis hunc tibi ignem in tuo commentario accenderit: Eraſmus Roterodamus ſic eſt interpretatus hunc locum in ſuis Annotationibus: atque hic ipſe Ambroſiano commentario ſeſe niti ſignificat. Quaſi verò futuri ſæculi quendam ignem commentator ille nõ ſe intellexiſſe declaret, cum interpretatur illa verba, Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur; hoc eſt, inquit, mala doctrina in igne omnibus apparebit; nunc enim quoſdam fallit. Quid eſt quod ait: Nunc enim quoſdam fallit? niſi quia velit intelligi nõ eſſe in hac vita cuiuſque doctrinam manifeſtam, ſed in futuro ſæculo per ignem manifeſtandam? An forte per ignem in futuro ſæculo, ſed pudoris ignem & confuſionis? Sit hoc ita ſanè (magnus enim cuique in ſua pœna pudor eſt, cum ea pręſertim fuerit manifeſta) id ſaltem

conſe-

consequor, si illum sequeris commentarium, vt fateri debeas aliquos fore saluos qui in futuro sæculo pœna pudoris afficiantur, priusquam recipiantur in beatum illud regnum. Quod quam tuo aduersetur instituto, protinus opinor aduertis. Sic & is commentarius qui est sub nomine D. Hieronymi inter eius opera, cum verius existimetur esse Pelagij, quamuis superædificare interpretetur doctores ipsos super fundamento Christo, tamen neque doctrinam intelligit superædificari sed homines bonos aut malos, & in his tāquam discipulis manifestandam esse cuiusque doctrinam; sed in die iudicij, non in hac vita, ignemque (sicut ille commentarius Ambrosianus) nō in sæculo hoc intelligit, sed in futuro. Diuus etiam Chrysost. quāquam sicuti ipse annotasti, coactiore vti videatur expositione in verbo [saluus erit] tamen & manifestationem & ignem, per eumq; probationem, ad futurum sæculum referenda esse non dubitat. Ædificationes verò rectissimè ei visæ sunt esse operationes, illumque cōmentarium Pelagij, vt ædificātes sint magistri, opera verò discipuli & auditores, vt improbabilem iure refellit. Quo pacto enim, inquit, opus peribit, architectus autem saluus erit? Quid cæteros commemorem Græcos & Latinos, qui de eo quod post mortem est iudicio, Pauli locum magno consensu interpretati sunt? Nimirum animaduertebant id totum quod B. Apostolus dicit de manifestatione operis cuiusque, &

probatione, & diei illius declaratione absurdè in hac vita intelligi. Et quicquid ipse tandem Erasmus annotauerit, qui ad hanc interpretādi licentiam suis annotationibus magnam fenestram patefecit, tamē ingenuè post omnia confitetur, Græcum articulum vocabulo diei præpositum, efficere propemodum vt de certo die accipi debeat: Quasi dicas, Nam ille dies Domini declarabit. Quis autem ille est tam singularis dies, nisi supremi iudicij? Vita enim hęc propè tota quid nisi afflictio, & persecutio & tentatio est? Multi ergo, imò omnes ferè dies superædificata aliquorum ministrorum opera patefaciunt, quantum quidem manifestari in hac vita possunt. At vnum aliquem singularem scriptura diem significat, quo non vnius, aut plurium, sed vniuscuiusque manifestandum sit opus. Vt igitur de superædificantibus qui sint, & quid illud quod superædificent, vt de proprietate ignis tecum Areti non valdè contendam, fatendum tamen est in illo iudicio non in hac vita vniuscuiusque probandum & manifestandum opus quale sit, in eaque probatione quosdam propter ea quæ superædificauerint, detrimentum seu damnum passuros: sed tamen saluos futuros.

Quid sentiendum sit de Augustini dubitatione circa memoratum scripturæ locum. CAP. XVI.

Vnum

VNum hoc loco Augustinum obijciēdum nobis putauit Aretius, tanquam varia loci interpretatione fluctuantem, & incertum quo maximè modo accipi oporteret. Cuius tamen dubitatio etiamsi de eo foret, vtrum ad futurum sæculum referendum sit quod dicitur de vniuscuiusque operis probatione & manifestatione, tamen nihil præiudicaret plurimorum & grauissimorum authorum tantæ in eo ipso intellectu consensioni. Habet enim hoc in scripturis interpretandis regula Ecclesiæ, vt cōmunem magisq; receptum, & probatum pluribus scripturæ sensum recipiat, in his pręsertim locis quæ aliquam fidei continent quæstionem: Eo enim fit vt nec Chrysostomū hic sequatur in eo quod ignem interpretetur æternum, per quem salui futuri dicātur, qui superstruunt ligna, fœnum, stipulam, quia non sint igne quamuis perpetuo dissoluendi. Sed in eo propriè sita non est Augustini dubitatio, qui in id incūbit vt explanet; Primū quinam censendi sint habere Christum in fundamento; Deinde quid sit ignis vocabulo accipiendum; Tertio quo modo per hunc ignem quisque probatus saluus tandem euadat: Propterea quod essent id temporis, qui ipsum gehennæ ignem intelligerent, per quem dicerent saluos futuros etiam illos qui crimina secum hinc detulissent. Tametsi enim faterentur ignem illum esse perpetuum, ambustionem tamen eius negabant omnibus perpetuam fore. Quonam autem modo sensisset Augustinus

vnumquemque superædificantium super fundamento Christo, ex tribulationum igne hac in vita probandum esse, vnde vel ipsi esset manifestum quid superstruxisset quantumque bona pereuntia dilexisset, cum non nesciret esse plurimos qui vsque ad extremum ipsum mortis ictum nihil aduersi subirent, vnde id possent de seipsis habere exploratum? Talem igitur probationem, manifestationemque superstructi operis, intelligit partim hic, partim in futuro fieri; sed quod hic ita fieret in quibusdam aliquo dolore tanquam igne ipsos vrente ex amissione bonorum quæ dilexerant, id pro certo habuit. In futuro verò sæculo vtrum tale quid esset, id non putauit definiendum, sed siue hoc modo, siue alio quopiam id fieret, vt igne superædificantium opera probarentur, non dubitauit tamē quod Apostolus dicit, Vniuscuiusque opus ignem esse probaturum, & diem Domini declaraturum quale esset, id plenè in futuro sęculo esse complendum. Ideoque in Psalmos scribens, & eundem Apostoli locum attingens, sine cūctatione declarat, ignem futuri sæculi purgatorium Apostoli verbis significatum esse. Quia dicitur, inquit, saluus erit, contemnitur ille ignis: grauius id tamē erit quam quicquid in hac vita quisque pati possit. Et iterum, Domine (inquit) in hac vita purges me, & talem me reddas, cui emendatorio igne non sit opus, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Et rursum hom. 16. libri 50. homi-

In Psal. 37 Domine ne in furore.

homiliarum; Qui, inquit, temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, per fluuium igneum de quo propheticus sermo commemorat; Et fluuius igneus currebat ante eum, & per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina;& quātum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiēs pœna desæuiet. Et quia sermo diuinus quodam loco æneæ ollę animam peccatricem comparat, dicens: Pone illam super prunas vacuam, donec concalescat æs eius, & omne stannum eius defluat; illic sermones otiosi, & cogitationes iniquæ vel sordidæ; illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exudabunt: illic stannum vel plumbum diuersorum subrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obscurauerant, consumentur: quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas & lachrymas, compendiosa transactione potuissent. Ex his vides, si tamen verum videre libet, vt non dubitarit Augustinus in futuro sæculo intelligendum quod dicitur, Saluus erit sic tamen quasi per ignem. Non enim eam rem sic inculcasset populari sermone, idq́; ex authoritate Apostolicæ prædicationis, si pro incerta habuisset.

Daniel.7.

Ezech.24.

Voluit igitur indubiè tribulationis, & eius quidem grauissimæ, quendam ignem in futuro intelligi, per quem tum demum cuiusque, sicut Apostoli verba continent, probaretur & manifestaretur opus, cum ipsi cuius esset opus, tum alijs quoque hominibus. Sed vtrum illa tribulatio tunc vreret dolore quodam amissorum huius vitæ cõmodorum, qui dolor index esset inhærentis sæculi amoris, à quo deberent ipsa tribulatione repurgari (id quod in hac vita cõtingere multis non dubitabat) Hoc igitur num similiter in altero sæculo eueniret, id (sicut dictum est) pro incerto habuit Augustinus. Sint ergo, si placet, ij qui superstruunt ministri verbi; sit ignis, aut tribulatio aut iudicium Dei; sit dies Domini dies iræ & vltionis; denique & hic per tribulationes, amissionesque bonorum vitæ huius probentur quidam, & quid vel docuerint vel amauerint, & ipsis & alijs quibusdã fiat manifestum, nunquam tamen quisquam perficiet vt possit in hac vita intelligi quod Apostolus dicit, Vniuscuiusque videlicet superstruentium opus ignis probabit, & vniuscuiusque opus manifestum erit, & dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Ex quo efficitur vtcunque se res habeat in hac vita, in sæculo futuro quosdam igne probari, & eorum opera manifestari qualia sint: & alios quidem statim mercedẽ accipere, alios verò quia ligna, fœnum & stipulam superaddiderint, detrimentum & damnum pati, sed consequi tamen

salu-

ſalutem tanquam per ignem. Ex quo rurſum manifeſtè colligitur metuẽdum eſſe futuri poſt hanc vitam extremi iudicij quendam ignem; perfectis quidem imperfectisq; communem, ſed per quem perfecti tranſeant illæſi, imperfecti accepto detrimento purgentur. Ac ſi tale quid futurum eſt in extremo iudicio, circa hominem totum, conſtantem iam animo & corpore, in quo adhuc purgandum, conſumendumque aliquid reperietur, indicio id eſt profectò poſt mortem ad ſimilem modum cum ipſis animabus agi, quæ eâdem ædificij ſui imperfectione laborent, donec plenè abſumptis ijs quæ vitioſè cohærebant, liberæ prorſus purgatæque ad Dei conſpectum, ex ſuis pœnis emigrent.

Non benè colligi ignem cuius meminit Apoſtolus non eſſe Purgatorium, quia ſignificetur bonis & malis eſſe communis. CAP. XVII.

FAlleris igitur Areti, ſi colligis ignem quendam purgatorium intelligi non poſſe, quia dicat Auguſtinus, ignẽ illum, cuius Apoſtolus meminit, bonis maliſque debere eſſe communem, aut ſaltem (quod magis abs te dici conueniebat) communem ſuperædificantibus aurum, argentum, & ſuperædificantibus ligna, fœnum & ſtipulam, qui non mali, ſed boni omnes & iuſti ſanctique ſunt propter funda-

mentum Christum, id est, fidem quæ per dilectionem operatur: sed alij alijs perfectiores præstantioresque iustitia. Falleris, inquam, sic colligens: Ignis ille perfectis imperfectisque communis est, ergo purgatorius esse non potest. Vnus enim atque idem ignis, per quem illi omnes transituri sunt, quos adhuc impuros inueniet purgabit; quos verò reperiet antè purgatos, hos inoffensos, & sine omni detrimento, damnoque transmittet. Neque enim ignis propterea non est purgatorius, quia non omnes est purgaturus. Quomodo nec propitiatorium apud Iudæos propterea non erat, quia non omnes propitiabat: aut rei cuiuspiam vires calfactoriæ esse negandæ sunt, quia non quidlibet excalfaciunt. At hoc, Areti, vt alicuius momenti esse putares, quis tibi fuerit author propè me diuinare posse existimo. Suggesserat hoc Erasmus antea eiusmodi verbis; Si quis vrgeat per ignem intelligendum pœnas gehennæ aut purgatorium, quomodo qui superstruxerũt aurum, argentum & lapides prætiosos æquè examinari dici possunt atque alij? hoc ille mouet, perindè atque si omnes ita essent rudes rerum, vt nescirẽt etiam aurum præstantissimum igne examinari & probari, vt de eius cõstet puritate. Ex quo etiã illa vox est; Igne me examinasti, & non est inuẽta in me iniquitas: & apud Lactantium legitur lib. 7. cap. 21. Iustos quoque cum iudicabit Deus examinandos igni, ac tum quorum peccata vel põdere vel numero præualuerint,

rint, perſtringendos igni atq; amburẽdos; quos autem plena iuſtitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſenſuros: habere enim aliquid in ſe Dei, quod vim flammæ repellat atque reijciat. Et Diuus Ambr.ſerm.20. in Pſal. 118. Petrum quoque & Ioannem, in quibus ſi quid vitij fuit, charitas diuina decoxerat, examinãdos nihilominus igne, per flammasq́; tranſituros aſſeuerat. Ergo & Lactantius & Ambroſius, examinandos ſcribunt igne illo cõmuni, iuſtos, & eos quidem iuſtos quibus nõ reperias iuſtiores. Neq; enim idem eſt examinari ſeu probari, & purgari: nam & docti pariter examinantur & indocti; illi vt eorum manifeſtetur eruditio, iſti vt ab ignoratione & errore purgentur. Leuiter etiam illud & inconſideratè admonetur Ambroſium annotaſſe, propterea dici [quaſi per ignem] vt ſimilitudinem, nõ rem intelligeremus: vndè colligitur de igne purgatorio non poſſe Apoſtoli locum explicari. Non enim id habet ille Ambroſij commentarius, ſed id potius, quamuis obſcurè ſignificat, ideo non dictum; Per ignem ſaluus erit, ſed, quaſi per ignem: ne intelligeretur eum in igne fore ſaluum, id eſt, illæſum & incombuſtum futurum ſuo merito, ſed ſalutem conſecuturum quidem, at non ſine pœna ignis. Non dixit, inquit, ſaluus erit per ignem, vt merito ſuo ab igni non combuſtus ſaluus fiat examinatus per ignem: ſed cùm dicit; Sic tamen quaſi per ignem, oſtendit ſaluum illum quidem

futurũ, ſed pœnas ignis paſſurum, vt per ignem purgatus fiat ſaluus, & non ſicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. Nec verum eſt quod præſupponitur, voculam [quaſi] ſemper ſignificare ſimilitudinem ſolam, cum ipſam aliquando exprimat veritatem: velut cum de quopiam dicitur; Gubernat quaſi tyrannus, id eſt, more tyrannorum, & ita vt ſe tyrannũ verè exhibeat; Extorſit pecuniã quaſi raptor; Sæuijt quaſi iratus, aliaque permulta, quæ ſimilem in modum dicuntur. Quale & illud eſt in epiſtola ad Galat. cap. 3. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, Et ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Si ergo non verus ignis, quia dicitur Quaſi per ignem, nec verè vnum ergo ſemen Chriſtus, ſed ſimile quiddam. Neque ſimilitudinem opinor ibi ſignificat, vbi ſcriptum
2. Cor. 3. eſt ad Corinthios: Non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis. Neque veritas excluſa eſt vbi dicitur eodem capite; Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: aut in Euangelio Ioannis capite primo; Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Sunt alia innumera quæ de politiori etiam literatura proferri poſſunt, vnde conſtet illud [quaſi] ſæpenumero ipſam exprimere veritatem: Non me, inquit ille, pater amas quaſi filium; aut certè aliud quid proprium ſignificare. Sed nec quia metaphora eſt in auro, argento, lapide pretioſo; ligno, fœno, ſtipula, conſequens videri debet, vt in igne quoque

Quaſi interdum rei modũ aut qualitatẽ declarat.

non

non proprietas seruata sit, sed tropus agnoscendus (quamuis id Caluinus & Aretius videri velint.) Possit enim & alius similiter colligere, nec in mercedis aut detrimenti vocabulo proprietatem seruatam esse, nec mercedis aut salutis veritatem, sed similitudinem duntaxat agnoscendam. Aut quia dicitur in Euangelio, *Ioann. 15.* is qui in Christo fructum non fert, per metaphoram palmes, & per metaphoram amputari & arescere & colligi, cōcludere possit in ignem etiam non verum, sed metaphoricum mittendum esse, & metaphoricè non verè arsurum. Imò verò quia verum & fulgentissimum quendam ignem, idoneum prorsus per quem dies Domini magnus cunctis patefieret, beatus Apostolus intelligi voluerat, idcirco & alia illa per eiusmodi metaphoram exprimenda putauit: quia si dixisset simplicius, vitam & mores vniuscuiusque per ignem probandos; & quosdam quidem illo puniendos igne atque purgandos; alios sine læsione & afflictione transituros, eandem quidem retineret sententia veritatem, sed minus multò gratiæ habitura fuisset oratio. Saluum igitur fore pronunciat Apostolus superædificantem ligna, fœnum & stipulam, sed sic tamen atque ea lege, vt illi sit accipiendum ab igne detrimentum, pœnaque ignis temporaria perferenda, atque hoc in extremo iudicio fiet. Quæ autem vel hic satisfactione, vel post hanc vitam ante illud tamen extremum iudicium, repurgata & expiata fuerint,

rint, non illic per ignem absumi necesse erit, sed quid factum sit, tunc etiam dies ille probatorio quodam igne manifestabit. Iudicij certè supremi diem familiare est Apostolo hunc in modum designare: vt priore ad Corinthios capite primo, Conseruabit vos in diem Domini sine crimine: Et cap. 5. Vt spiritus saluus sit in die Domini: Sic & ad Philip. Vsque in diem Iesu: Et in posteriore ad Timot. capite 2. Quam mihi reddet iustus iudex in illa die: Et ad Hebræos 5. Quanto magis videritis appropinquantem diem. Quomodo & apud Lucam Pauli imitatorem scriptum est; Remissius erit Sodomis in illa die. Quanquam & eodem conferat quod dicitur, Mercedem accipiet; est enim futuri sæculi propria bonorum operum retributio: Quia verò mercedi opponit detrimentum, intelligendum est proculdubio hoc quoque accipi in supremi iudicij die. Nec dicit Apostolus quod ignis diem ipsum efficiet, id est, vt quidam volunt, claram inspectionem: sed dies, inquit, Domini reuelabitur in igne, hoc est, per ignem supra modum admirabilem quod dies Domini sit quo iudicare statuerit, patefiet; eoque ipso igne vt diuinæ iustitiæ instrumento iudicium ipsum palam in omnes exercebitur, alijs quidem purgandis, alijs de sua puritate illustrandis, alijs damnandis atque perdendis. Hoc enim & antiquissimis Ecclesiæ cæremonijs, quæ in baptismo seu exorcismis adhibentur consentaneum est, & percelebri

celebri illi voci, quæ passim in Ecclesia Christi resonat; [Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.] Quod ipsum & B. Petrus Apostolus in epistola secunda satis insinuat, cùm ait: Veniet dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autẽ & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Vnde colligit, quia sunt hæc dissoluenda & purganda, magnam operam dandam esse Christianis, vt immaculati inueniantur in eo die, ne videlicet per ignem illum iudicati & afflicti detrimentum accipiant, aut eôdem si expertes iustitiæ sint, ad interitum inuoluantur sempiternum. Neque verò idipsum beatus Paulus in secunda ad Thess. capite 2. tacuit, cùm ait venturum Christum in flamma ignis, quo vindicta de impijs sumatur. Sed & à Malachia Propheta, eiusmodi quiddam expressum est, de igne quo purgentur filij Leui: Ecce enim inquit, capite 3. venit, & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Ex quibus verbis videtur (inquit Augustinus) euidentius apparêre, in illo iudicio, quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras. Quamobrem id omninò persuasum haberi debet beatum Apostolum, siue cum ait: Et

2. Petri 3.

Lib. 20. de ciuit. Dei cap. 25.

Et vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit, ſiue cum mox adiungit; Ipſe autem ſaluus erit, quaſi per ignem, de eodem prorſus igne loquutum, qui purgatorius his quidem qui purgatione adhuc indigebunt, omnibus autem probatorius futurus eſt. Per eum enim ignem ſunt omnes iudicandi ab eo qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Quod tamen quidam ſcriptor catholicus ne ſit odioſum veretur: ſi videlicet aſſeramus ſanctos homines nullo iam vitiorum inquinamento pollutos, per eum ipſum ignem qui impios eſt perditurus, eſſe tranſituros, quamuis citra omnem vel minimę læſionis noxam: vt ſit ignis ille purgatiſſimis quibuſque hominibus, quod tribus pueris caminus ille fuit Babylonicæ fornacis: hoc (inquam) ne pias offendat aures, metuit: ideoque ab Alcuini commentario, qui hũc ei ſenſum exprimere viſus eſt, nonnihil ſibi recedendum eſſe putauit. At quid hic, vir bone, reformidas? Sanctíſne indignum cenſes ſi clariſſimo hoc diſcrimine puritas eorum ſingularis ab aliorũ impuritate diſcernatur? ſi in igne communi alijs detrimẽtum accipientibus, ipſi Deo pleni vim omnẽ elementi vrentis euincãt? Sed dicito quid præponas: Nempe vt ignis de quo dicitur, [Vniuſcuiuſq; opus quale ſit ignis probabit] ſit ignis ille ſpiritualis diuini internique iudicij; materialis autem cum poſt additur, [Saluus erit quaſi per ignẽ.] Quæro quis ergo ignis ille de quo dicitur; Dies enim Domini in igne

Vide ſupra cap. 10.

igne reuelabitur, nisi materialis ille atque conspicuus? Nam & ipsa Dei circa quemque censura per seipsam inuisibilis, suis effectis in hoc igne manifestabitur. Hic igitur ignis est, de quo vno eodemque contextu subiungit; Et vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Hunc & Latini patres in Florentina Synodo significatũ esse, non dubia interpretatione acceperunt. Qui enim (aiunt) confessi, sacratissimum Christi corpus, absque tamen pœnæ præuia satisfactione sumunt continuoque moriuntur, hi dubio procul in supradicto igne quod purgatorium appellari solet, purgantur. De quo quidem igne Paulus ad Corinthios scribit; Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. & paulò infra; Ipse autem saluabitur sic tamen quasi per ignem. Et ad hunc quidẽ modum illi. Atq; vt Diuum Augustinum prætercam, cuius clara sententia est Enchiridij 68. talem ignem intelligi debere, per quem ambo transeant superædificantes, [a] Ambrosius ipse qui Diuũ [b] Basilium & [c] Hilarium in eo sequutus est, cum interpretantur illud, [Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni] intelligit ignem futuri iudicij per quẽ exuretur iniquitas, quiq; paleis futurus est inextinguibilis, perque hũc ipsum ignem optimos quosque transituros docet. Nam & si aliquis (inquit) vt Petrus sit, vt Ioannes, baptizatur hoc igni. Paulò quoque antè ex eodem Ambrosio & Lactantio protulimus quod eodem pertineret, pluresque proferre possemus, si esset necesse. Hæc

a Ser. 3. in psal. 118.
b Ca. 15. li. de Spiritu sancto, & in ca 4 & 9 Isaia.
c In cap. 3. Matthai.

autem

ante obiter insinuanda putauimus, ne dum in breuissimo illo verborum Pauli contextu, citra vllam grauem satis caussam ignem alium atque alium commentamur, hæreticorum fortè partes per imprudentiam adiuuemus.

De loco Apocalyp. Beati mortui qui in Domino moriuntur. CAP. XVIII.

A*Pocalypsis*, inquit, 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur nunc; & iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis, opera autem illorum sequuntur eos. Locus hic totus de felicitate piorum loquitur qui in Domino moriuntur. Sed quid hinc ad purgationem faciet? Excipiunt, quia opera illorum sequuntur illos; hoc est, quæ alij pro illis faciunt, quasi hoc sit sequi opera illorum. Bonos sua sequuntur opera, dum obtinent quod sperarunt, & assequuntur pro quo tot ærumnas pertulere, quales sunt pij martyres qui sanguinem pro Christo effudere. Hos sequūtur sua opera, hoc est, non frustra laborarunt, non in vanum cucurrerunt.*

Rursum hic, Areti, nodum pro tuo arbitrio facis quem resoluas. Quis enim est nostrum qui istiusmodi argumento vel somniarit statui purgatorium posse? Prorsus vt dicis, locus ille totus de piorum felicitate loquitur, nisi quod ita latè pateat, vt illos etiam spiritus, quos purgatoria quædam receptacula detinēt, comprehendat. Nam & illos quamuis sunt in pœnis, beatos

beatos magna ex parte tranquilla quædam securitas facit, ſicut ante docuimus. Sed vt purgatorio locus ille neutiquam aduerſatur, ita neque ipſum probat, neque quicquam expreſſum habet quod vllo modo faciat ad purgationem. Quid autem impudentius, quam vt interpretari nos fingas, Opera illorum ſequuntur illos, id eſt, quæ alij pro ipſis faciunt? Nam & ſi iuuantur animæ illæ bonis viuentium operibus, tamen in eo ipſo ſequũtur illas propria ipſorum opera, quæ ſuis in corporibus peregerunt. Siquidem & ſibi cum hic agerent compararunt ea merita quibus alienis auxilijs atque officijs dignæ redderentur. Id quod ille ſignificat Euangelij locus, vbi dominica admonitio eſt ad bonum diuitiarum vſum & miſericordiam, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quid enim eſt facere ſibi amicos de mammona iniquitatis, niſi largo & liberali pioque facultatum vſu, conciliare ſibi ſalutis adiutores, qui ſuis precibus atque officijs noſtræ vitę quaſi defectus ſuppleant? Quid recipi ab illis in æterna tabernacula, niſi ad ingreſſum beati illius regni tanquam opitulatrice porrecta manu adiuuari? Cùm ergo adiuuantur ac recipiuntur amicorum auxilijs, in eo ipſo ſequũtur illos opera ipſorum, quibus de mammona iniquitatis amicos ſibi conciliauerunt. Sequũtur proinde illos opera ipſorum propria, non ſolum ad regni conſecutionem, verumetiã

Lucæ 16.

ad obtinendam illam in iudicio misericordiam, qua remota si iudicarentur, peccatis quibusdā impedientibus, admitti non possent ad iustitiæ suæ premium accipiendum. Quam rem mirari se dicit Augustinus solêre, etiā ab Ethnico Poëta disertis adeò verbis expressam. Nam cum Elysios (ait) campos Poëta ille describeret vbi putant habitare animas beatorum: non solum ibi posuit eos, qui proprijs meritis ad illas sedes peruenire potuerunt, sed adiecit atque ait;

Lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 27.

Quiq́ sui memores alios fecere merendo: id est, Qui promeruerunt alios, eosque sui memores promerendo fecerunt. Prorsus tanquam eis diceret, quod frequentatur ore Christiano, cum se cuique sanctorum humilis quisque commendat & dicit: Memor esto mei, atque vt id esse possit, promerendo efficit. Hactenus Augustinus. Ac verè tu quidem dicis, *Bonos sua sequi opera, dum obtinent quod sperarunt, &c.* sed diligenter caues ne vim & fructum exprimas meritorum, propter quem tamen dictum est opera sequi. Quomodo enim sequuntur opera, si non propter ipsa remuneratio fiat? si nihil eorum intuitu, & quia accepta ipsa grataq; sint reponatur? quomodo sequuntur si næuo peccati omnia sint deformata, odióque digna magis quam mercede? Quanquam igitur beatum regnum assequantur martyres, quia tamen ille fructus operum non est, neque laborum merces, secundum vestrum nouum

Euan-

Euangelium, profectò frustra laborarunt & in vanum cucurrerunt. Frustra enim fit cuius effectus est nullus: nam si cui ægro porrecta medicina sit, quam constet ad sanitatem recuperandam fuisse inutilem, quamuis ille alia quadam ratione & caussa cōcurrente, sanitatem recuperet; medicinam tamen illam inutilem, frustraque porrectam omnes iudicabunt. Quid autem est quod inculcatis magis, quàm inutiles esse nos, etiam post sanctificationem? & opera etiam illa in quibus creauit nos Deus vt in illis ambulemus, ad vitæ beatæ comparationem nihil conducere? Sed quoniam hoc leuiter attigisse isto in loco sufficit, ad ea quæ subiungis transeundum est. *2.Timo.2. Ephes.2.*

Quid de loco scripturæ ad Philip. cap.2. In nomine Iesu omne genu flectetur, &c. sentiendum sit, in caussa confirmandi Purgatorij. CAP. XIX.

PHilippensium 2. inquit, *In nomine Iesu omne genu se flectat; cælestium, terrestrium, ac infernorum. Quasi hic ternarius flectentium genua non possit subsistere, nisi detur Purgatorium. Flectunt genua cælestes spiritus & sancti in vita æterna: Idem faciunt pij in terra adorantes Christum: Idem faciunt Sathan & damnati spiritus cum impiis omnibus in nouissimo iudicio; non quidem adorantes Christum, sed agnoscentes indicem. Credunt enim & contremiscunt; hoc est, non*

colunt Christum, quem tum coguntur fateri filium Dei, & iudicem suum.

Et hic locus Areti magis ad quandam pertinet probationis copiam, qua nonnullis forsitan vti lubuit, quoniam sic accipi posse putarunt, quàm concludendi vim habet ex eo quod aliter intelligi non debeat. Scio enim esse Catholicos interpretes, qui eum sensum quem sequeris, suis commentationibus expresserint. Quid autem Catholicos interpretes dico? cum Apostolum cõstet capite 14. epistolæ ad Romanos, ad extremũ referre iudicium, in quo omnes boni & mali ante iudicem curuandi sunt; illi amore, isti metu? Omnes, inquit, stabimus ante tribunal Christi. Scriptum enim est, Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Reliqua, inquis, *noui testamenti loca eadem facilitate explicari possunt, vt planè perspicuum sit nihil præsidij hinc redire ad defensores Purgatorij.* Reliqua dicis loca; sed quæ sint, non designas. Neq; dubiũ est quin ea quoque sint selecta pro arbitrio tuo, quibus fingimur astruere purgatorium. Nam quod scriptum est Apoc. 5. Audiui omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram & sub terra dicentem sedenti in throno, & agno; Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sęcula sæculorum: Item, Quid fa-
1. Cor. 15. ciunt qui baptizantur (seu affligũt se) pro mortuis, si omnino mortui non resurgũt? Sic enim & Christus dicit, Marci 10. Potestis baptismo
quo

quo ego baptizor baptizari? Et Lucæ 12. Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur? Item: Eſt peccatum ad mortem, non pro eo dico vt roget quis: vbi ſignificatum videtur orandum eſſe pro ijs, qui rectè præſumãtur in peccatis non perſeueraſſe vſque ad mortem. Rurſum illud in Actis de Christo, Quem ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. Hæc igitur quæ à nonnullis non contemnendis authoribus pro Purgatorij aſſertione proferuntur, vellem illa tua facilitate nobis explicata reliquiſſes. De poſtremo certè loco Diuus Auguſtinus hunc in modũ ſcripſit lib. 12. de Geneſi ad literam ca. 33. Christi quidem animam veniſſe vſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos ſolueret à tormẽtis, quos eſſe ſoluendos occulta nobis ſua iuſtitia iudicabat, non immerito creditur. Quomodo enim aliter accipiendum ſit, quod dictum eſt, Quem Deus ſuſcitauit ex mortuis, ſolutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis, non video; niſi vt quorundam dolores apud inferos eum ſoluiſſe accipiamus. Locum autem Apocalypſis 5. valde conatur Caluinus extorquere nobis è manibus: *Quales enim (inquit) hic creaturas recenſeri putant? Certo enim certius eſt & ratione carentes & inanimatas comprehendi. Quo non aliud affirmatur, quam ſingulas orbis partes à ſummo cælorum vertice ad vſque terræ centrum, ſuo modo creatoris gloriam enarrare.*

1. Ioan. 5.

Actor. 2.

Sed Agnum (ô Caluine) relinquis, cui quonam modo omnia dicunt eleměta benedictionem & honorem, aut quomodo eius gloriam enarrant? Agni quippe gloria propria ex opere eſt redemptionis, cuius abditiſſimi in Dei ſapientia conſilij, ne veſtigium quidem aut pertenue ſignum reperias in rebus inanimatis omnibus. Nam inuiſibilia quidem Dei; vt bonitatem, ſapientiam, potentiam, aliaque multa quæ ſunt creatoris, vniuerſæ res creatæ loquuntur: ſed quid eſt in opere creationis quod prædicat lapſi hominũ generis reparationem? quibus id ſignis atque veſtigijs, è terra, è ſtellis, ex igne & aqua futurum fuiſſe colligas? Quod autem certo certius eſſe dicis, nomine omnis creaturæ etiam inanimata comprehendi, non id tam audacter diceres, ſi in mentem veniret
Marci vlt. Euangelij locus vbi ſcriptum eſt; Ite prædicate Euangelium omni creaturæ. vbi proculdubio Omnis creaturæ nomine, non elementa muta comprehenſa ſunt, ſed homines ſoli quibus Euangelium prædicari volebat: Quod ſi dixeris, omnem creaturam debere illic intelligi, prout circunſtantia poſtulat Euangelij prædicandi: ſcito hoc idem in Apocalypſi fieri oportere, vt ſola intelligatur ratione prædita creatura, quoniã ea ſola ſit quę beneficio reparationis agnito, illum qui mundi peccata ſuſtulit agnum, prædicare & glorificare poſſit. Vnde non ait Ioannes, ſe audiſſe cælum & terram & mare, cum dicerent Agno benedictionem; ſed creaturam

quæ

quæ in cælo habitat, & eam quæ ſuper terram degit, & eam quæ ſub terra quæque in mari verſatur. Idcirco & antea dixerat in eodem capite; Et nemo poterat neque in cælo neque in terra neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Neque enim hoc propter dæmones aut damnatos ſpiritus dictum eſt, à quibus abſurdum fuerat tale quiddã expectare, ſed propter ſpiritus iuſtorum. In quibus etſi tanta quorundam excellentia fuerit ſanctitatis ac vitæ meritorum, vt de ijs aliqua concipi poſſet expectatio, nullus tamen ad libri reſoluenda ſignacula, ſatis idoneus repertus eſt. Quocirca eiuſmodi aliquos iuſtorum ſpiritus ſubtus terram fuiſſe hæc ſcriptura ſignificat; qui tamen quoniam & ipſi liberatoris ope indigebant, non potuere humanę captiuitatis vincula reſoluere, quam peccata multa & manifeſta tãquam ſcripta foris, & occulta vt ſi intus ſcripta eſſent, faciebant. Sed ad te Areti redeamus.

Faciátne pro Purgatorio locus Pſalmi 66. Tranſiuimus per ignem & aquam.

CAPVT XX.

V*Ideamus*, inquis, *ſi quid ex Veteri teſtamento præſidij habeant. Primum vt ex nouo teſtamento accommodant, quæ ſpeciem habent aliquã, ſic veteris teſt. præſidio aperto deſtituti, applicant quæ vtcunq; ſpeciem aliquam habere videntur. Primo, Pſalmo 66. Per ignem & aquam*

aquam transiuimus. Loquitur Psalmus de afflictionibus populi Dei, ex quibus tandem eos liberauit & in terram sanctam duxit, quæ afflictiones etiam de Ecclesia & omnibus pijs possunt intelligi. Sed quæ est necessitas, ignem & aquam, hic de Purgatorio intelligere. Certè, res sunt pugnantes, ignis & aqua, ideoq; de eodem subiecto intelligi non possunt. Præterea, ignis est afflictionum in hac terra: nihil ergo ad Purgatorium.

Accedis ad ea quæ proferuntur è veteri testamento, & ne sis tui dissimilis eâdem vteris industria, eligendis ijs argumentis quæ facillimè tibi dissoluere potuisse videaris. Nihil enim esse in illis Psalmi verbis quæ profers, quod satis magnam vim haberet, ad concludendum aliquid de Purgatorio Christianarum post morté animarum, cum ex contextu ipso, tum ex luculentissimo D. Augustini commentario discere potuimus, quem sic explicatum reliquit: Ignis & aqua, inquit, vtrũque periculosũm est. In hac certè vita videtur aqua igné extinguere, & ignis videtur aquã siccare. Ita & ipsæ tẽtationes sũnt quibus abũdat hæc vita. Ignis vrit, aqua corrũpit; vtrumque metuendum, & vstio tribulationis & aqua corruptionis. Quando sunt res angustæ, & aliquæ infelicitates sunt in hoc mundo, quasi ignis est. Quando sunt res prosperæ, & abundantia sæculi circumfluit, quasi aqua est. Vide ne te ignis exurat, ne aqua corrumpat. Firmus esto aduersus ignem, coqui te oportet, tanquam vas fictum mitteris in caminũ ignis, vt fir-

August. in Psalm. 65.

vt firmetur quod formatum eſt. Vas ergo quod in igne firmatum eſt, aquam non timet; ſi autem ſolidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua ſoluetur. Noli feſtinare ad aquam, per ignem tranſi ad aquam, vt tranſeas & aquam. Propterea & in ſacramentis, & in catechizando & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam vnde plerunque immundi ſpiritus clamant, Ardeo, ſi ille ignis non eſt? Poſt ignem autem exorciſmi venitur ad baptiſmum, vt ab igne ad aquam, ab aqua in refrigerium. Quod autem in ſacramentis aqua baptiſmi, hoc etiam in tentationibus huius ſæculi anguſtia timoris. Accedit prima vice ignis, poſtea ablato timore metuendum eſt ne felicitas mundana corrumpat. Cum autem te ignis crepare non ſuffecerit, & in aquam non merſeris, ſed enataueris, per diſciplinam tranſis ad requiem, & tranſiens per ignem & aquam educeris in refrigerium. Quarum enim rerum ſigna ſunt in ſacramentis, ipſæ res ſunt in illa perfectione vitæ æternæ. Hæc Auguſtinus: in quibus nulla de Purgatorio ſignificatio eſt. Sed tamē bella, tu quidem Areti, ratione probas de purgatorio non poſſe intelligi, quod pugnantes ſint res, ignis & aqua; ideoque de eodem ſubiecto intelligi non poſſint: quaſi ignis & aqua de eo ſint genere rerum quæ in ſubiectis ineſſe dicuntur. Nam ſubſtantiæ quidem contrariæ ſi eodem aliquo loco non poſſent contineri, quomodo, vt cætera taceam, mundus hic ele-

menta continere possèt inter se contraria? Sin ad qualitates respicitur inter se repugnantes, puto nō nescire Benedictum quemadmodum nostrorum corporum ex illarum pugna qualitatum, subindè valetudo turbetur. Si ergo in eodem corpore, eodem prorsus tempore, frigus pugnant & calor, magnumque hoc sæpenumero in ista miseriarum valle purgatorium est, quanto facilius fuerit, vt quod in febribus conspicitur, eodem in corpore frigus æstusque succedant? Neque enim quia dictum est, Transiuimus per ignem & aquam, simul vtrumque fieri significatum est. Ideoque si qua talis post hanc vitam, ex illorum vicissitudine tormentorum futura cogitetur afflictio, quoniam in hac vita sancti etiam homines per illam exercentur atque purgantur, nihil id erit alienum
2.Thess.1. à scriptura diuina, quę dicit sanctos persecutiones hic pati in exemplum iusti iudicij Dei; hoc est, vt declaretur, & tanquam exemplo demonstretur subijciaturque oculis illa diuini iudicij seueritas, quæ post hanc vitā (vbi propriè tempus iudicij est) acuitur in eos qui secum aliquid flagellis deferūt dignum. Quocirca si qui sunt, (in quibus esse video Antoninum) qui ad Purgatorium accommodauerint Psalmi verba, vt id non ineptè fecerūt, ita traducendi non sunt, tanquam qui firmo argumento sic elici posse putauerint, Catholicam de animarum purgatione doctrinam.

Quo-

Quónam modo intelligendus sit locus Zachariæ 9. de lacu in quo non est aqua CAP. XXI.

Zachariæ nono, inquis, *mentio fit putei in quo non sit aqua, siue lacus sine aqua. Lacus iste quibusdam est infernus, ex quo sumus sanguine Christi redempti. Qui Purgatorio fauent de Limbo patrum intelligunt, in quo etiam fuerit diues ille cum Abrahamo colloquens Lucæ 16. Verba Zachariæ sunt. Etiam tu in sanguine testamenti tui dimisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Iudæi quidem sanguinem testamenti intelligunt, sanguinem circuncisionis. Alij fœdus in monte Sina initum & confirmatum sanguine animalium. Ita dimisit vinctos suos, id est, Iudæos ex Ægypto, quæ lacus est in quo non erat aqua. Verum quia cum Christianis nobis res est sanguinem testamenti, vt opinor, non intelligent alium quam Christi sanguinem, quem effudit in salutem omnium credentium. Nam aperta prophetia de Christo, In hoc sanguine dimisit vinctos suos, hoc est, electos, de lacu in quo non erat aqua, hoc est, de potestate Sathanæ. Nam statum mortalium afflictum per similitudinem explicat. Qui in orientalibus regionibus fuere, testantur adhuc foueas haberi & cisternas aridas, quibus detinentur captiui. Dicit ergo nos calamitosos fuisse & miseros seruos diaboli, qui nos mancipia habuerit, non aliter ac si quis in lacu detineat captiuos, & ex tyrannide nos liberauit suo sanguine filius*

Dei

Dei. Magna autem impietas est, hanc gloriam redemptionis à Christo ad Purgatorium transferre, ex quo non sanguine Christi, sed satisfactionibus hominum animæ finguntur liberari. Sic ille.

In huius loci explicatione vnum est Areti, de quo inter nos conuenit, sanguinem testamenti non alium hic intelligi debere, quam sanguinem mediatoris Dei & hominum; cuius fit verbis antecedētibus certa mētio, cùm dicitur; Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Hic ipse suum sanguinem, in Euangelio, noui testamenti sanguinem appellat; Hic, inquit, sanguis noui testamenti, seu calix nouum testamentū in meo sanguine. Etenim per hunc sanguinem implentur & prçstantur ea nobis, quæ nouo testamēto promissa sunt, quæ spectant ad liberationem captiuorum. Itaque citra controuersiam, sanguis ille pretiosus, is ipse est in quo emisit Deus vinctos suos de lacu, in quo non erat aqua. Quis autem hic sit lacus de eo propria loci huius quæstio est, possuntq; de eo (inquit Augustinus) diuersa sentiri, etiam secūdum rectam fidem. Eò fit vt non vrgentissimum esse fatear quod hinc conficitur argumentum. Et Augustino quidem visum est nihil eo significari melius, nisi humanæ miseriæ siccam profunditatem quodammodo & sterilem, vbi non sunt fluenta iustitiæ sed iniquitatis lutum. De quo lacu etiam in Psal-

Zachar. 9.

Psalmo dicatur; Et eduxisti me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Hunc Augustini sensum reperies lib. decimo octauo de ciuitate Dei, cap. 35. Tu quoque instituti tui memor lacum hunc vis in hac vita intelligi, nimirum Sathanæ potestatem: *Nam statum*, inquis, *mortalium afflictum, per similitudinem explicat*. Sed primum si tibi demonstrauero ipsum Satanam in lacum esse deiectum, quam alterius Sathanæ mihi potestatem intelliges, quæ significata sit nomine laci? Hoc enim illi dicitur apud Isaiam, Verùtamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Si ergo & ipse Sathanas in lacu est, non est nomine laci eius accipienda potestas seu tyrannis. Deinde quid aptius aqua significat quam refrigerium? videlicet vt lacus in quo non sit aqua, is sit status in quo non queat refrigerium inueniri, non aliqua redemptio comparari. Atqui dum hic vitam agunt electi, quamuis sub potestate Sathanæ afflictissimi sint durissimaque pressi tyrannide, tamen ab ijs refrigerium inueniri & redemptio per Christum potest. Hoc enim tempus gratiæ & misericordiæ est; hoc tempus in quo licet operari; quoniam diei non noctis est; hic inueniri potest cibus, qui apud inferos nullus est; hic præsto est aqua de qua dicitur; Omnes sitientes venite ad aquas; hic assiduè proponitur illud; Consurge, consurge, excutere de puluere, dissolue vincula colli tui captiua filia Sion. Quæ non nunc prædicarentur in Ecclesia, si hic esset lacus, in quo

Psal. 39.

Cap. 14.

Isaie 55.

Isaie 52.

quo non eſſet aqua. Vinctos præterea qui educuntur è lacu, interpretaris electos; cùm è poteſtate Sathanæ liberentur etiam non electi cõplures; qui liberati ſemel & iuſtificati in eandem poſt captiuitatem ſua recidunt voluntate:
Hebr.6. quales dicit ſcriptura prolapſos poſtquam ſunt illuminati & participes facti gratiæ ſpiritusſancti; quales dicit Euãgelium ad tempus credere,
Lucæ 8. & in tempore tẽtationis recedere, perſecutioni videlicet quæ propter iuſtitiam fit ſuccumbẽtes. Cùm igitur hęc tuæ interpretationis ſententias incommoda, cur non potius, Areti, infernum intelligas nomine laci, in quo nõ eſt aqua? Hoc enim & ille ſupra citatus Iſaię locus exigit, Veruntamen in infernum detraheris, in profundum laci, hoc eſt, detraheris, inquit, in inferni ipſius profundiſſimas partes. Infernus
Infernus in ſcriptura pro ſtatu vel loco mortuorũ accipitur. enim, ſicuti antea notauimus, generatim eum ſtatum & locum deſignat, qui cælo opponitur, hoc eſt, qui ſit infimus, vt ille ſupremus; qui ſit tenebricoſus, vt ille lucidus, & illuſtris; qui ſit mœſtus & horridus, vt ille iucundus & amœnus. In hoc & Patres ante Chriſtum fuere, ſicuti locis varijs ſcriptura ſignificat, & modo ſanctæ quædam animæ detinentur ad tempus, & impij perpetuum habituri ſunt domicilium. Latiſſimè ergo patet infernus iuxta ſcripturarum coſuetudinem, magnaque illic conditionum & ſtatuum differentia eſt: ſed hoc generaliter proprium habet, quod in eo non ſit aquam ſeu refrigerium comparare, ſi-

re, ſicut nec inuenire cibum. Idcirco quicunque inde aliquando educti ſunt vel educentur, eius ſibi meritum in hac vita compararant; quippe illic nullus eſt eiuſmodi merito locus, nec ibi redemptio ſeu iuſtificatio quæ hic neglecta fuerit reperietur: id quod eſt nec cibum nec aquam apud inferos poſſe reperire. Igitur qui infernum intelligunt, non eſt conſequens Areti, vt Limbum Patrum excludant, in quo fingis dici à quibuſdam diuitem epulonẽ cum Abrahamo collocutum: Pars enim inferni limbus erat. Itaque ne quiſquam hoc ſic accipi poſſe neget, Diuum Hieronymũ & Venerabilem Bedam in 22. Lucæ caput Haymo ſequutus, ſic locum illum enarrauit, vt & infernum intelligeret nomine laci, & tamen ſanctos ex eo interpretaretur eductos, eam videlicet inferni partem attendens quę limbus patrum vſitatius appellatur. Tu, inquit, eduxiſti vinctos tuos, id eſt, ſanctos qui in vinculis tenebantur, de lacu in quo non eſt aqua, hoc eſt, liberaſti eos de inferno in quo nulla eſt miſericordia. Denique in reſurrectione Domini multi ſanctorum qui in inferno vinculis originalis peccati tenebantur, ſurrexerunt cum eo, & venerũt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Sic ille; qui in inferno dicit nullam eſſe miſericordiã, non quod ibi nulla detur ex aliqua parte, ſed quod illic nemo eam mereatur aut impetret. Quo modo etiam rectè accipitur dictum, quod in inferno nulla ſit redemptio, quemadmodum

prius

prius ostendimus; iuxta illam Augustini senté-
tiam, Hic omne meritum comparatur, quo pos-
sit quisque post hanc vitam, aut grauari, aut le-
uari. Quanquam autem ex inferno reproborũ,
vbi est ignis ille præparatus diabolo & angelis
eius, intelligi queant electi esse liberati & edu-
cti, non quod in eum iam incidissent, sed quod
nisi subuenisset gratia redemptoris, in eum ca-
suri essent certissimè (quomodo Diuus August.
declarat, accipi posse quod scriptum est Psal-
mo. 85. Eruisti animam meam ex inferno in-
feriore, quia nimirum liberarit eùm qui hoc
dicit ab eiusmodi peccatis, per quæ deduci
posset ad tormenta inferni inferioris) tamen
propriè illi educti sunt, qui iam inferni clau-
stris conclusi tenebantur, illi videlicet Patres
quos habebat Limbus, aut quos adhuc car-
cer quidam purgatorius detinebat; vsqueadeo,
vt secũdum proprietatem eductionis è lacu in
quo non erat aqua, referendus sit locus ad eos
quibus post mortem, hoc liberationis benefi-
cium, misericordia Dei præstitum est, quam
sibi hic benè sanctéq; viuendo conciliauerant.
At exurgit hic Aretius, & magnam esse cõque-
ritur impietatem, hanc gloriam redemptionis
à Christo ad Purgatorium transferre. Sempér-
ne Areti ad idem saxum impinges? atqui turpe
scis illud esse: Bis ad eundem; tametsi hunc de
via tua, quantum potuimus, remouimus, &
nunc idipsum haud grauatim faciemus. Re-
demptionem illam, Areti, de qua ipse loqueris,
qua

qua ex mancipijs diaboli ſeruiſque miſerrimis efficimur liberi, non transferimus ad purgatorium, ſed hac duntaxat in vita fieri dicimus: deinde illam ipſam quam ibi ponimus liberationem, ſanguini Chriſti minimè detrahimus, ſed hanc illi ferimus acceptam, ceu fonti ipſi & pretio, vnde omnis noſtra purgatio & libertas emanat. Tametſi enim in ijs ſatisfactionibus, quæ hic pro illis ſuſcipiuntur, aliquam inueniunt à temporaria pœna redemptionem, tamen vnde illarum ſatisfactionum vis, niſi à Chriſti ſanguine deriuata eſt? Potuiſſes hoc idem & prophetæ dicere, quod magna impietate redemptionis gloriam tranſtuliſſet ad eleemoſynas, quia dixerit benè Regi cõſulens, Peccata tua eleemoſynis redime. Nec modò pro illis animabus orare, aut eleemoſynas hic largiri non licebit, ſed nè pro nobis quidem, aut alijs mortalem adhuc agentibus vitam, ne videlicet gloriam redẽptionis & orationis Chriſti, ad hominum orationes transferamus. Quid ergo hic eſt præter illum inanem fucum, quem de malè intellecta Chriſti gratia & redemptione componitis, quoq; hominibus miſeris, & dilectionem veritatis non habentibus imponitis? *Daniel. 4.*

Quid ſibi velit apud Tobiam locus, Panem tuum & vinum tuũ ſuper ſepulturam iuſti conſtitue. CAP. XXII.

TErtium eſt, inquit, *ex Tobia quarto; Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam*

ram iusti constitue, vt scilicet pauperes inde refecti, pro defuncti salute Deum deprecentur. Poterat simpliciter argumentum reijci, quia sumitur ex libro extra canonem. Notum autē est oportere ex canonica scriptura peti testimonia ad probandum aut confutandum aliquod dogma religionis. Tamen hoc omisso videbimus quam malè eo testimonio vtantur. Primum, Tobias pater, vir sanctus instruit filiū in pietate quam à patribus hauserat, & nusquam reperiuntur patres veteris test. meminisse purgatorij in funeribus aut luctu pro mortuis: non potuit igitur de eo filium suum hic instituere. Deinde verba hoc non sonāt. Textus ita habet: Non sit durum in oculis tuis panem tuum & vinum tuum effundere supra sepulchra iustorum. Quod igitur de suo addūt, vt pauperes inde refecti pro defuncti salute Deum deprecentur, vanum est & alienū à scopo Tobiæ. Sed hoc vult filium exemplum paternū imitari, non solum in facienda eleemosyna, sed in sepeliendis clam occisis bonis viris, quos pater solebat noctu sepelire ipse, vel curare per alios vt suis sumptibus sepelirentur, vt constat ex cap. 1. Effundere igitur panem & vinum super sepulturam iustorū, est sumptus facere ne insepulti maneāt, quod tū fiebat in Niniue. Præterea impij Iudæi hoc ipsum sic interpretabantur vt est cap. 2. Deridebant enim ipsum etiā cognati sui. Iste non solicitus est pro anima, quia adhuc sepelit mortuos. Contra hanc ignominiā munit filium, ne patiatur sese deterreri vel metu Assyriorum vel subsannatione malorum Iudæorū, sed pergat patris imitari exem-

exemplum. Ideoq; rectè, inquit, Ne tibi durum videatur. Habebat enim periculum & ruborem ex subsannatione suorum aduersa. Et quod ait: Super sepulturam iustorum, notum est Hebrais gnal, significare in gratiam aliquid fieri: ac si dicat, Nō sit tibi durum in gratiā sepultura iustorum sumptus facere, dare panem & vinum vt sepeliantur. Alij iustos intelligūt pauperes viuentes: vt sit sensus; da panem & vinū vt à sepulchro praserues eos ne fame pereant, nam si non paueris videberis occidisse. Sed ne sic quicquā hinc purgatorio habebunt patrocinij. Et hanc posteriorē sententiam expressè Graci innuunt: verterunt enim sic, ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων, καὶ μὴ δὸς τοῖς ἁμαρτωλοῖς. *significantes dandam eleemosynam bonis non impijs.* Hæc ille.

Cum paulò ante Zachariæ tractares locum, repudiato Iudæorum sensu de sanguine testamenti, cum Christianis tibi negocium esse dicebas, ideoque Christianum ab ijs sensum & commentarium concedi tibi iure postulabas: Sed cum te quoque viciſſim Christianis debeas præbere Christianum, cur vt oppugnes Christianos, in Hebræo sic canone Iudaizas? An nescis in diuinarum scripturarum libris recensendis, non eundem omnino esse Iudæorum & Christianorū canonem? Iste tuus canon in quē Tobiæ librum recipi negas, Hebræus est non Christianus. Eum enim, inquit Hieron. librū Hebræi de catalogo diuinarum scripturarum secantes, his quæ Hagiographa memorāt, man-

cipiunt. Quàm autem hunc canonem, siue quàm Hebræorum ea in parte iudicium non magnifecerit Hieronymus, ostēdit consequentibus verbis. Arguunt, inquit, nos Hebræorum studia, & imputant nobis contra suum canonem latinis auribus ista transferre: Sed melius esse iudicans Pharisęorum displicere iudicio, & Episcoporum iudicijs deseruire, institi vt potui. En D. Hieronymus Pharisæorum non veteris Ecclesiæ Iudæorum hoc æstimauit esse iudicium, quo de catalogo diuinarum scripturarum hic Tobiæ liber eraditur, Christiano certè catalogo comprehendi, ex vetustissimorum testimonijs, Conciliorumque censuris certissimè constat. Neque hunc librum D. Ambrosius dubitauit appellare propheticum, cap. 1. lib. de Tobia, quia reuera illustrem habet de Christo & eius Ecclesia prophetiam, cap. 13. & 14. Nec verò pluribus elaborandum hic est, vt libri huius authoritatem astruamus, quod alij pro sui instituti ratione, diligenter copioseque fecerunt. Sed etsi inter Hagiographa iuxta Hebræorum & hæreticorum canonem esset numerandus, tamen magni deberet esse ponderis, hunc peruetustum librum cum alijs & diuinarum literarum & authorum Ecclesiasticorum testimonijs, habere tam pulchrè consonantem. Verum eo (quoniam omittēdum putas) omisso, videamus num hoc testimonio malè, quemadmodum ais, Catholici quidam vsi sint. *Primum*, inquis, *Tobias pater, &c.* Ego verò sic potius

potius colligendum arbitror: Tobias pater, vir ſanctus inſtruit filium in pietate quam à patribus hauſerat; atqui inſtruit eum de eleemoſyna facienda pro mortuis, ergo hoc officij ſoliti erāt patres mortuis exhibere fidelibus, iſtoque modo ſuam de Purgatorio fidem proteſtari, etiamſi nuſquam expreſſam de Purgatorio mentionem feciſſe legerentur. Multum enim erras ſi putas eſſe conſequens, nihil feciſſe patres aut dixiſſe, niſi quod mandatū literis diuinis aut canonicis demonſtrare poſſimus. Quid ſi primus hic author, qui magnam habet vetuſtatem, literis id expreſſiſſet, nónne vel hoc nobis deberet eſſe teſtimonio, quid ab anterioribus ipſe didiciſſet? Deinde quid opus in luctu vel oratione meminiſſe Purgatorij, cum ſatis ſit orare pro defuncto & lugere? Atqui memoria tenebat Tobias exemplum Iacob patriarchæ, qui pro *Gene ſ 37.* filio Ioſeph quem crediderat mortuum, luctum non mediocrem ſuſcepit. Non autem opinor quod gentilium more, tātum prophetam luxiſſe filij mortem dicturus ſis, aut tanquam perditum, & æternis mancipatum ſupplicijs deplorasse, quomodo Dauid luxit mortem Abſalon; ſed planè luxit vt prodeſſet mortuo, cui niſi prodeſſe lugendo poſſet, nulla eſſet alia ratio cur tantus vir lugeret eius mortem, de quo par erat ſpem bonam concipere quod præmiſſus eſſet non amiſſus: cuius ſpei cōtemplatione ab amicis fidelibus, ipſe Tobias cum gaudio narratur eſſe ſepultus. Textum autem ipſum ſi ſpectaueris,

ueris, nihil reperies facilè quod probabilius sonet quam hoc quod volumus. Nimirum vt dictum sit; Si gratificari iusto sepulto velis, & ei prodesse iam mortuo, effunde panem tuum & vinum largiendo pauperibus, atque id in gratiam eius facito; hæc enim pro defuncto atque in eius gratiam facta eleemosyna, magnum ei potest afferre leuamen. Nam quod gentiles faciunt, vt collatis cibis epulentur inter se super mortui sepulchro, sperantes hac re defunctis afferre solatium, id vanissimum est. De quo subiungitur: Et noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus, Noli ergo, inquit, ad istum modum conuiuando nequiter & infideliter profundere tuam substantiam, sed eam misericorditer communicando indigentibus, stude sepulto apud Dominum conciliare misericordiam. Præterquam autem quod & Tertullianus initio libri de Resurrectione carnis, & Diuus Augustinus sermone quodam de Cathedra Petri, gentilis huius consuetudinis facit mentionem, (quam ille quidem sic reprehendit vt dicat, valde esse ridiculum, vt defunctos, quos atrocissimè exurant, eosdem postmodum gulosissimè nutriant) extant eius quibusdam locis hodieque vestigia, vbi cibi & potus super mortui sepulchro ponuntur, & inde sublati dantur pauperibus. Super sepulchro enim ponunt, vt in gratiam mortui largiri se hanc declarent eleemosynam: ita fit ab ijs nunc Christianè atque fideliter quod à genti-

tilibus ſtultè & inutiliter ſeruabatur. Nam & alijs quoque in rebus nonnullæ conſuetudines de ipſa gentilitate retentæ, à Chriſtianis in meliores vſus conuerſæ ſunt. Quod autem velle dicis Tobiam patrem vt eum hac in parte filius imitetur, rogo te quæ conuiuia, aut quos ſumptus feciſſe legitur Tobias pater, vt pro eo mortui per alios ſepelirentur? Imò vero conuiuio ob aliam inſtituto cauſſam, id relinquebat, ac per ſeipſum corpora mortuorum tranſlata domum ſepulturæ mandabat: quod autem ſumptus fecerit vt ſepelirentur per alios cadauera mortuorum, nuſquam Areti legis. Certè capite primo libri huius quod deſignas nulla eius rei ſignificatio eſt. Fallebat te cum hæc ſcriberes tua memoria, aut fallere meditabâris eos quos putabas non eſſe lecturos. Si enim ſolitus erat ſumptum facere aut conuiuio excipere amicos qui ei hac in parte eſſent adiutores, cur hic de conuiuio ſolus exceſſit? cur non alijs negocium dedit? Nec pecuniam dicit conſtituendam ſuper ſepultura iuſti, quæ tanquam merces detur pro ſepeliendi labore, ſed panem & vinum, quo magis eleemoſyna quam laboris merces ſignificata eſt: his enim rebus, refici ac recreari pauperes ſolẽt. Taceo quod reliqua patris præcepta generalia ſunt, atque omni conuenientia tempori, & neceſſaria: hoc autẽ de ſepeliendis fratribus, qui ab impijs occidebantur, ſæuientis perſecutionis tempus ſpecialiter concerne-

bat; eratque perfectionis singularis, non necessariæ in proximum charitatis. Ideoque verisimile non est, quod vnum hoc interserere voluerit, tam speciale præceptum cum essent cætera communia. Postremò si, vt dicis, Hebræa vox declarat fieri aliquid in gratiam alterius (in quo tibi lubens assentior) num sepultura est cuius in gratiam faciendum aliquid sit, an verò sepultus ipse, cui sit hoc modo gratificandum? Idcircò enim scriptum est apud sapientem Ecclesiasticum; Mortuo ne prohibeas gratiam.

Capite 7.

Quod si hoc modo volebat filium non sepulturæ; quod absurdum est, sed sepulto gratificari iusto, nulla hic est sumptus significatio, qui fieri pro mortuo sepeliendo iuberetur. Alterum quod adiungis nihilo commodiorem habet sensum. Primum quod hoc sit simplex, eleemosynæ præceptum. Datur enim eleemosyna egentibus, vt eorum leuetur necessitas, & à sepulchro, quoad potest, præseruentur. Hoc autem iam superioribus verbis satis inculcauerat. Deinde non fit in gratiam sepulturæ, quod fit vt arceatur sepultura. Atqui verbum Hebræum hoc significare dicis, vt in gratiam fiat sepulturæ. Postremò non iustis modò, verumetiã iniustis & peccatoribus extremè præsertim egentibus, quibusque nisi succurratur sepulchrum metuendum sit, facienda est eleemosyna, falsumque perspicuè quod dicis significatam à Græcis eleemosynam dandam bonis non impijs, cum constet etiam inimicos dili-

diligendos, & benefaciendum ijs qui nos persequuntur, & is qui non pauerit, quod ipse allegas, videatur occidisse. Nisi fortè putes pro tua Christiana charitate, quod impium quidem sic liceat occidere, non iustum. Igitur si eleemosynam pijs dandam, non impijs Græcà significent, & hoc intelligi non possit de pijs & impijs viuentibus mortalem hanc vitam, planè cõficitur iuxta Græcæ lectionis, vt tu vis, significationem, iusto defuncto esse dandam eleemosynam, siue in gratiam eius, non autem impij in sua impietate sublati. Vidésne Areti, cum retia fugis ea quibus salubriter caperêris, quomodo in ipsa venabula veritatis incurras? Qui etiam si alium quempiam loci sensum non improbabilem protulisses, non esset tamen consequens malè nos illo vsos testimonio, cuius probabilem aliquã sententiam expressissemus: Quam Diuus quidem Ambrosius libro in Lucam septimo sic confirmat, vt etiã maius quiddam altiusque hic nobis commendatum insinuauerit; nempe Sacrificium id quod in Ecclesia Christiana sub panis viniq; specie pro defunctis fidelibus, quibus vita speratur æterna, non pro impijs seu infidelibus offertur, quorum est cum hinc decesserint desperata salus. Est & illa, inquit, prophetia, vt supra sepulturã maiorum quædam ponamus quæ lector agnoscit, infidelis intelligere non debet: non quo cibus imperetur aut potus, sed sacræ oblationis veneranda communio reueletur. Non ergo in-

 terdi-

terdictum est muneris, sed religionis mysteriũ, communionem nobis cum gentilibus mortuis non futuram. Nam cum sacramenta viuorum sint, non videntur mortui qui habent vitam. Hæc Diuus Ambrosius capite 3. memorati in Lucam libri.

De loco secundi Machabæorum duodecimo. CAPVT XXIII.

*Q*Varto, inquis, *superest locus 2. Macha. 12. de Iuda Machabæo, qui Hierosolymam mitit duodecim milia drachmarum pro defunctorum memoria facienda. Respōdemus his quod solent Iurisconsulti dicere: Rerum veritas non debet erroribus gestorum vitiari. Et quia hic locus rem commendat quæ cum scriptura pugnat, meritò irritus censeri debet. Porrò, de resurrectione simpliciter loquitur, qua res videtur occasionem dedisse missionis illius. Nam apud interfectos reperit argumēta idololatriæ. Quam rem ęgrè tulit, sed de salute illorum non desperauit. Tamen vt viuos ab illo scelere expiaret, & testaretur displicere illis defunctorum idololatriam, munus illud misisse videtur, quod author historiæ postea detorsit ad satisfactionem peccati illorum. Verum quia liber est extra canonem, & speciale habet factum cuius non extat exemplum in sacris literis, meritò repudiatur.*

Familiari nimium vteris petitione principij, quæ valde est apud Dialecticos in disputatione vitiosa. Nam vtrū hęc res pugnet cum scriptura,

idip-

id ipſum eſt quod modo quęritur: neque tu pugnare hactenus oſtendere potuiſti; quin vt eas diſſolueres ſcripturas quæ noſtram aſſertionem efficaciſſimè confirmant, vano te hactenus & fruſtraneo labore torſiſti. Quid igitur eſt quod tam confidenter loqueris [Quia hic locus rem commendat quæ cum ſcriptura pugnat, meritò irritus cenſeri debet?] Imò prorſus Areti quia hic locus rem cōmendat quæ ſcripturæ diuinæ locis alijs, partim neceſſario, partim probabiliter conſtituitur, meritò, cum alijs pręſertim cōiunctus, magnam vim ad perſuadendū habere debet. Ac Iudæ quidem Machabæi factum interpretaris pro tuo arbitrio, ſic tamen vt mox oblitus tui noſtra magis confirmes, quam infirmes. Dicis reſurrectionem mortuorum occaſionem dediſſe miſſionis illius. Cur ergo horum defunctorum ſperata reſurrectio (quoniam de illorum, ais, ſalute Iudas non deſperauerat) occaſio fuit mittendi huius muneris Hieroſolymam, niſi quo id ageretur apud Dominū miniſterio ſacerdotum, vt interfecti ſperatæ reſurrectionis efficerentur participes, remiſſis quæ adhuc impedire potuerant quibuſdam illorum peccatis? Namque ſi munus illud tranſmiſſum, nihil ad reſurrectionē interfectorum faciebat, non potuit certè eorum reſurrectio mittēdi muneris eſſe occaſio. Nihil autem faciebat ad interfectorum reſurrectionem, ſi quod dicis verum eſt, voluiſſe illum viuos duntaxat ab idololatriæ ſcelere expiare, & teſtari

defun-

defunctorum displicere idololatriam. Ideoque author historiæ, non quasi violenta interpretatione factum illud detorsit ad satisfactionem peccati illorum, sed tuis quoque verbis suffragātibus secutus est, quo eum aperto gressu ducebat mittēdi muneris occasio, hoc est, sperata salus & beata resurrectio defunctorum. Itaque hanc ipsam occasionem sic expressit: Facta collatione duodecim milia dragmas argenti misit Iudas Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis: Et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur. Hactenus libri secundi Machabæorum scriptor. Sed ad asylum confugis commune hæreticorum, quibus cum liber aliquis displicet propter ea quæ vehementer eis aduersantur, id familiare est vt librum eijciant è canone, maluntque tanquam infideles filij, Iudæorum infidelium, in libris diuinis recensendis iudicium sequi, quam Christianorum maiorum suorum, à quorum pietate & religione desciuerunt. Esse enim hunc librum in canone Ecclesiastico, Innocentius primus, Gelasius, Synodus Africana, aliaque Patrum concilia definierūt. Nam quod D. Hieronymus & Ruffinus in Sym-

in Symbolo ad dogmata Ecclesiæ statuenda valere negant huius authoritatem libri, id accipiendum est, vt dicant, non valere eo modo quo valent ij libri qui sunt in canone Hebræorum, vt aduersus eos videlicet Christianæ fidei dogmata possint stabiliri. Sic enim D. Hieronymus seipsum explicat in fine libri secundi Apologiæ contra Ruffinum. Quod si Hebræos in hoc de libris canonicis iudicio sequi voluerimus, Christo nobis erit aduersandum, qui Danielem vt prophetam habuit, & Dauidis Psalmos vt propheticos, cum Hebræi & Danielem negent esse prophetam, & Psalmos esse Dauidis. Librum quoque Iob & Hester non eodem quo cæteros habent loco. Sed Augustinum interim proferunt, cum ille libro 2. de doct. Christiana, capite 8. duos Machabæorum libros inter canonicos manifestè recenseat, atque idem ex secundo memoratum locum producat, ad orationem pro defunctis astruendam, libro de cura pro mortuis cap. primo. Proferunt tamen atque obijciunt, quod idem Augustinus lib. 2. contra epistolam Gaudentij capite 23. hoc præ se ferat, libros illos se pro canonicis non habere. At quibus verbis? an quia dicit, scripturam Machabæorum non habent Hebræi sicut Genesim? sed hoc iam ante diximus, hosce libros pro canonicis, Hebræorum iudicio non haberi. Quod verò adiungit receptos esse ab Ecclesia non inutiliter, sed si sobriè legantur vel audiantur, hoc tantum

tummodo significat ab ijs qui in eorum lectione versentur incautius, occasionem errandi sumi posse, ideoque sobriè & attentè legi oportere. Quod dictum est cōtra Gaudentium, qui Circūcellionum seipsos interficientium furorem defendebat exemplo Razię, qui in ijs libris
2. Mach. 14 seipsum interemisse narratur, & sic quidem vt ab imprudenti lectore factum eius videri possit esse laudatum. Ideoque & propter Sampsonis exemplum dici posset librum Iudicum sobriè legendum esse, ne quisquā ex eius lectione ædificetur ad interficiendum semetipsum. Quod rursum obijciunt à Domino dictum esse in Euangelio, oportere impleri quæ sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de ipso: vnde colligunt Machabæorum librum, quia neque ad legem, neq; ad prophetas, neque ad psalmos pertineat, non esse canonicum, tale est vt librum quoque Hester exterminet, quoniā neque ad legem, neque ad prophetas, neque ad psalmos magis pertineat, quam Machabæorum liber. Verūtamen respondemus illis veteribus omnia propemodū in figura contigisse, gestaq; illa quæ libri Hester & Iudith & Machabæorum complexi sunt, reuera fuisse prophetica, eaq; de caussa & libros ipsos propheticis annumerandos esse; qui vt prophetici nō essent, id tamen satis esse deberet, quod historiam populi Dei suis cæremonijs ea quæ ad Christum pertinebant præfigurantis, vsque ad ipsum Christum perduxerint. Nam neque in Regum, aut Paralipomenon libris,

quãuis prophetici ſint, neceſſe eſt ſtatuere omnia quæ narrantur eſſe prophetica: ſed quemadmodũ in lira & cithara, aut alio quopiam inſtrumẽto muſico præter cordas ſonantes, etiam ligna ſunt nihil ſonantia quidem, ſed neceſſaria tamen vt indè cordæ religentur atque intendantur, vel remittantur propter harmoniam; ſic etiam in libris propheticis & qui ijs annumerantur, nõ neceſſe eſt omnia ſonare aliquid futurorum myſtica prophetiæ harmonia, ſed ſufficit vt tanquam ligna quædam ſint in inſtrumento muſico, quibus ipſa facta prophetica cohæreant, indeque dependeant quodammodo propter pleniorem hiſtoriæ ſtructuram. Quod item aiunt authorem libri ſecundi Machabæorum veniã petere, quod minimè faceret ſi author eſſet canonicus, propterea facilè diſſoluitur, quia conſtat ſcriptorẽ illum nuſquam petere veniam ſi quid falſi dixerit, ſed ſi ſermo eius minus fuerit accuratus: ideoque ſubiungit; alternis vti, delectabile eſſe; non quia delectabile aut vtile ſit, ſi modò vera, modò falſa, quadam alternatione ſcribantur, ſed quia affectato ſemper vti ſermone minus oblectet, atque interdum expediat pedeſtri & quotidiana dictione rem explicare. Quocirca non magis fuerit conſequens, propterea librum hunc non eſſe canonicũ, quam Pauli epiſtolas, in quibus illud habet locum quod ipſe ait, Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. Spiritus enim ille diuinus qui canonicos ſcriptores inſpirauit, 2.Cor.11.

tam

tam per Amos rusticum locutus est, quam per aulicum Isaiam. Est etiā considerandum, vt sit liber aliquis canonicus, nō id requiri vt scriptor exploratū habuerit diuina se oracula fundere, sed satis est si quis Propheta vel Apostolus, librum lectum atque examinatum approbarit vt diuinum, pronunciaritque oracula sacra contineri. Nam & quod dixit Caiphas expedire vt homo vnus pro populo moreretur, diuinum oraculum fuit, etiamsi hoc ille nescierit. Itaque etsi dicere nō potuerit scriptor ille quod Ioannes Euangelista, Hic est discipulus ille qui scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius, non tamen ex eo rectè colligas librum quem scripsit non esse canonicū: quia satis sit si Apostolus hoc pronunciauerit, scire se quia verum sit testimonium eius. Nam neque Lucas, neque Marcus authoritatem habuisset canonicam, nisi Petrus aut aliús quispiam Apostolus sua authoritate legendum Ecclesiæ tradidisset. Quod verò scriptor idem ait cap. 2. lib. 2. veritatē de singulis concedere sese authoribus; non significat illum de veritate eorū quę scriberet dubitasse, sed particularē rerum singularum prosequutionem; &, vt Græcè est, diligentem de singulis, hoc est, exactam & accuratam narrationem omnium rerum gestarum, apud ipsos historiographos requirendam, neque id fuisse sui instituti. Quod rursum alij dicunt, Iudæ quidem Machabæi factum, quo pro defunctis sacrificium offerri iusserit, commemorari quidem,

dem, ſed non laudari, id quoque perſpicuè falſum eſt; quoniã manifeſtam facti laudem habet quod dicitur, Iuſtè & religiosè de reſurrectione cogitans: Et quod ita concluditur, Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. At non licuiſſe pro defunctis offerre ſacrificium probant, quia ſcriptum eſt Deuteronomij 12. nihil faciendum niſi quod Dominus præceperit, neque quicquam adijciendum eſſe ad expreſſam legem: Nullum autem contineri lege diuina præceptum de offerendo pro mortuis. Quibus reſpondendum eſt, reperiri non pauca ſanctorum opera collaudata, quæ tamen nuſquam eis præcepta fuerint; velut quod Dauid voluerit ædificare templum Domino; quod nec Rechabitæ, nec Ioannes Baptiſta vinum biberint; quod Iudas Machabæus & Salomon nouum dedicationis feſtum inſtituerint, quorum nihil erat legis præcepto mandatum. Quod verò lex addere prohibet, eò pertinet (quemadmodum antecedentia ſignificãt) ne quid ex earum gentium quarum terras ingrediebantur poſſidendas, ſacris ſacrilegis & ſuperſtitionibus ac ceremonijs, in Dei cultum Iudæi transferrent; ne quid vt redundans ac ſuperfluum detraherent; ne quid vt prætermiſſum apponerent. Siquidem ea phraſis alluſionẽ habet ad artifices, qui opera ſua imperfecta adhuc abſoluentes, addunt aut detrahunt, ne qua ſit eorum iuſta reprehenſio. Quoniam ergo inſtituta & opera

Deute 12. & 14.

N diuina

diuina reprehensione carēt, neque carpi aut vituperari possunt tanquam vitiosa, idcirco dictum est illud, neque addendum quicquam esse neque detrahendum. Vnde & Ecclesiastis cap. 3. de operibus quæ fecit Deus, scriptū est: Non possumus eis quicquā addere aut auferre, quæ fecit Deus vt timeatur: quod quid aliud significat, quam in opera Dei, quæ nostræ vtilitatis gratia fecit, nullam cadere iustam reprehensionem? Namque ob noua accepta beneficia, noua etiam commemorationis & gratiarum actionis festa instituere, nihil id esse adijcere ad legem: Hester quoque & Mardochæus probè intellexerunt, qui solēni per annos singulos die celebrari voluerunt, & recoli beneficium, quo fuerat Iudæorum populus ab oppressione præseruatus. Itaque etsi de offerendo pro defunctis sacrificio, nullum omnino in lege pręceptū haberetur, non propterea tamen videri deberet vituperādum Iudæ Machabæi factum, tanquam ad legem additum contra legem. Veruntamen offerre iubebat lex pro peccatis etiam absentium, vt in die expiationis pro totius populi delictis. Terque quolibet anno comparere debebat omne masculinum sacrificij caussa, vbi & pro absentibus mulieribus, & dispersis Iudæis offerebatur. Cùm igitur nō ignari essent veteres illi sancti, eos fideles qui hinc emigrassent, tametsi aliquibus peccatis essent obnoxij, non tamen à populo Dei segregatos esse, propterea quod scirent à lege non decerni separationem,

Vide sequētis libelli ca. 7. & 8.

tionem, nisi ob grauissima quædã; velut si quis Phase non fecisset, si quis circuncisus nõ esset, si quis sanguinem comedisset: hos enim atque eiusmodi, statuebat lex de populo suo perituros. Quæ pœna cum esset grauissima, perspiciebant eos non esse à populo suo separatos, qui grauibus illis delictis non fuissent inquinati. Ea de caussa non dubitarunt pro illis offerre sacrificium, qui sic excessissent è vita, vt pro Iudæis absentibus, quia re vera neque interierãt, sed adhuc viuebant, neque erant à societate populi Dei præcisi, sed ad tempus aberant per resurrectionem mortuorum coniungendi, reddendique mutuis aspectibus. Sed argumentari pergunt Lutherus & Brentius. An tale quicquam exercuerunt sancti? Volunt enim hoc Iudæ factum, nouum atque inusitatũ fuisse, quod iste speciale factum vocat, cuius in scripturis non extet exemplum. Idcirco ergo librum hũc à canone resecarunt: quod tantum abest vt propterea faciendum putemus, vt ob id etiam videatur esse canonicus, quia spiritum referat eundem ex quo libri cæteri conscripti sunt, videlicet hãc nobis pro defunctis fidelibus commendans misericordiam, quam alibi sæpius reliqua nobis scriptura commendat. Idcirco enim ieiunauit Dauid super mortuo Saüle & Ionatha. Cur enim sese in eorum gratiam afflixit ieiunio, nisi vt illis misericordiam Domini hac ratione conciliaret? Non enim existimandum est, quod nimio mœrore cibũ capere noluerit,

N ij sicut

ſicut ij qui dolent immoderatius; velut Alexander cum Clitum occidiſſet. Non enim dicitur noluiſſe aut non potuiſſe cibū ſumere, ſed ieiunaſſe, quod pro illis non feciſſet, niſi profuturum ſperauiſſet. Solitum enim ieiunare Dauidem vt aliquid impetraret à Domino ex eo poteſt intelligi, quod ieiunarit pro filio paruulo cum eſſet ægrotus; eo vero mortuo ieiunare deſierit. Nimirum quia dum viuebat ſperauerat ieiunio productiorem illi poſſe vitam impetrari, eo verò extincto cognouit diuinam de morte voluntatem, cui cognitæ acquieſcēdum eſſe perſpexit. Sic ieiunauerunt viri Iabes Galaad, ſeptem diebus; quod eos Venerabilis Beda interpretatur feciſſe pro mortuis vt ad requiem peruenirent. Et hactenus quidem de Machabæorum libro.

2. Reg 12.

1 Reg. vlt.

Præter ſcripturas, etiam Veterum tractatorum conformi doctrina, Purgatorium animarum comprobari.

CAP. XXIIII.

D*Iximus*, inquit, *de præcipuis locis quæ ex ſcriptura ſolent adducere ad confirmandū Purgatorium. Præter ſcripturas habent Patres, qui idem concedunt, imò ad credendum vrgent: de quibus paucula præſertim de Auguſtino quæ hic lacerant, de quibus nolo in præſentia quicquam dicere, quam veritati conſuetudinem non præiudicare.*

Præter

Præter ſcripturarum diuinarum luculenta teſtimonia,quæ ſuarum commentationum nebulis fruſtra hæretici obſcurare conātur,habemus profectò,Areti, Patres (vt dicis) qui idem concedant, imò ad credendum vrgeant; & ſic vrgeant, vt qui id non ſentiat, is bonæ mentis ſenſum mihi perdidiſſe videatur. Vrgent autem partim admirabili illo ſuo cōſenſu Græcis Latinisq́ue doctoribus, & ijs præcipuis ac celebrioribus omniumq; temporum in hoc vnum conuenientibus;partim in hęreſeon catalogum reijciendo aſſertionem aduerſam,in quo ſe procul dubio Eccleſiæ iudicium, cuius eſt hæreſes condemnare, ſecutos eſſe demonſtrarunt.

Atque ipſum primo conſenſum oculis breuiter hoc loco ſubijciam, quoniam id prolixius antea nonnulli fecerunt. Ac primum erit Tertulliani teſtimonium ſcriptoris antiquiſſimi & grauiſſimi,planéque idonei teſtis quid iam tum in Eccleſia fieret, ac fieri etiam debere crederetur. Is in libro de Monogamia: Ipſam, inquit, interrogo fœminam, Dic mihi ſoror, in pace præmiſiſti virum tuum? Quid reſpondebit? an in diſcordia? Ergo hoc magis euincta eſt, cum qua habet apud Deum cauſſam: Non diſceſſit quæ tenetur: Sed in pace: ergo perſeueret in ea cum illo neceſſe eſt, quem iam repudiare nō poterit, nec ſic quidem nuptura ſi repudiare potuiſſet. Enimuero pro anima eius orat & refrigerium interimat. Poſtulat enim & in prima reſurrectione conſortiū,& offert annuis diebus

dormitionis eius. Nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit, quãtum in ipsa est. Hæc Tertullianus, quibus non solum declarat quid fieret, verumetiam quid fieri deberet à vidua relicta pro defuncto marito, nisi vellet virum penitus repudiasse videri, & ab animo quoque suo reiecisse. Orare ergo solent viduæ pro defunctis viris, nec orare solum, verumetiam offerre sacrificium annuis diebus dormitionis eorũ. Et quid orando petere? Refrigerium; ne forte essent in pœnis, & aliquo tormentorum æstu. Quod vsque adeò facere in virorum gratiam debere existimabantur, vt id nisi facerent, censerentur, quantum in ipsis esset, repudiasse post mortem viros suos. Quod autem dicit [interimat] obscurum & nouum est verbum, quale fortè, sempiternat: nisi legendum sit, quomodo suspicatus est Renatus; Enimuero pro anima eius orat, & refrigerum interim postulat, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius. Scripsit in eandem sentẽtiam Libro de exhortatione ad castitatem: Etiam repete, inquit, apud Deum pro cuius spiritu postules, pro quo oblationes annuas reddas; Et quæ sequuntur. Transeo ad D. Cyprianum, qui non solum offerre pro defuncto, verumetiam deprecari & orare pro eo, rem significat non suo tempore institutam, sed à maioribus acceptam, & ab antecessoribus fieri solitam. Sic enim scribit libro 1. epistolarum epistola 9. Quod Episcopi antecessores nostri

religio-

religiosè considerantes,& salubriter prouidentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, nō offerretur pro eo, nec sacrificiū pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos Leuitas auocare voluit. Et ideò Victor cum contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit actorem costituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, vt sacerdotum decretum religiosè & necessariè factum seruetur à nobis. In his Cypriani verbis audis oblationem pro defuncto, audis & deprecationem quam pro defunctis frequentari mos erat. Quid autem peti mortuo potuit? an resurrectio beata? sed si damnatus ille est, frustra petitur; sin clara Dei visione mox beatus (quemadmodum id habet de iustorū omnium spiritibus hæresis ista persuasum) quid opus in hoc adiuuari precibus alienis, quod & perexiguum sit comparatione eius quod possidet,& ei iam non queat suo tempore denegari? Neque enim illa esset Ecclesiæ pro defunctis oratio,vt partē beatę resurrectionis obtineant, vitamque æternam habere mereantur in cælis; nisi quos illa spiritus adhuc eo subsidio alieno sciret indigere, quo fieret vt solutis peccatornm vinculis, speratæ resurectio-

nis parte nequaquam fraudarentur. Non indigent autem ij qui peccatis plenè iam abolitis Deo clarè viso beati sunt, quibusq́; iam adhæret nihil quod beatam resurrectionẽ corporum impediat aut moretur. His duobus vide vt cæteri consentiant, precesq́ue comprobent & alia officia iuuandis mortuis destinata. Dionysius Areopagita in eo libro quẽ de Ecclesiastica hierarchia scripsit; Accedens, inquit, antistes precem sacram super mortuum peragit, postq́ue precem & ipse eum presul salutat, & suo deinceps ordine qui astant omnes. Precatur oratio illa diuinam clemẽtiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq́; in luce statuat & regione viuorũ, in finibus Abrahæ Isaac & Iacob, vnde aufugit dolor & tristitia & gemitus. Neque multo post idem author hoc ipsum ita astruit, vt etiam argumentum quod istis familiare est dissoluat. Non ignoro, inquit, & ego diuinis eloquijs accedẽs, singulis reddendam pro meritis sortem, quia referet vnusquisque ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum. Quod autem & iustorum preces etiam in vita ista, & nedum post mortem ijs solis prosint qui digni sunt, nos docet sacrosancta traditio. Quid enim Saüli profuit Samuelis oratio? quid Hebræorum iuuit plebem prophetica interpellatio? Hæc ille, multaq́; alia eodem pertinentia, declarans videlicet etiam in eo quemque referre prout in corpore gessit, quod prodesse sibi ad refrigerium

rium ſentiat ſanctorum preces, quibus ſe vitæ ſimilitudine reddidit dignum. Nihil etiam Chryſoſtomo illuſtrius aliquot locis, qui rem hanc ab Apoſtolis quoque ipſis traditam eſſe ſcribit, ſerm. 3. in epiſtolam ad Philip. in hortatione morali: Non fruſtra, inquit, ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerandorum myſteriorum, memoria fiat eorũ qui hinc diſceſſerunt. Nouerunt illis multum hinc emolumentum fieri, multũ vtilitatis. Stante ſiquidem vniuerſo populo & manus in cælos extẽdente, cœtu item ſacerdotali, verendoq; poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes? Et infra. Quemadmodum itaque pro viuis iſtis oramus (inquit) qui tamẽ nihilo differunt à mortuis, ita & pro mortuis orari poteſt. Pro liberis ſuis ſacrificabat Iob, & à peccatis ſuis illos liberabat, &c. Vbi notãdum quod ait, pro his qui in fide ex hac vita diſceſſerunt, precibus & ſacrificio placari poſſe Dominũ, quod ad eam ſatisfactionem pertinet, qua viui pro defunctis ſatisfaciũt, vt ab ijs pœnis quæ adhuc ex ira Dei iuſta luendæ ſuperſunt liberentur. Vbi enim placatio eſt, illic ira & pœna cogitetur neceſſe eſt. Quare non fuit Chryſoſtomo dubium, quin is eſſet poſt mortem, quarũdam animarum ſtatus, in quo pœnis quibuſdam penitus expurgandæ tenerentur. Proptereaq; homil. 32. in Matthæum, Presbyteros vocari ſignificat à Chriſtianis, cum quempiam è chariorum numero amiſerint, vt orent pro eo, quo

requiem adipiscatur,& propitium iudicem inueniat.Itemque in Acta Apostolorum hom.21. & in priorem ad Corinthios,hom.41.per orationes & eleemosynas,quæ pro defunctis fiant, solatium eis aliquod præstari declarat, cum tamen nullus sit locus solatio, vbi nulla premit afflictio. Cui doctrinæ & D.Hieronymus clara & non dubia testificatione subscripsit, cum libro primo contra Pelagianos peccatoré ab impio accuratè distingueret.Si Origenes (inquit) omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos qui & diabolum, & satellites eius, omnesq; impios & præuaricatores dicimus perire perpetuò,& Christianos si in peccato præuenti fuerint, saluandos esse post pœnas? Eiusdem Hieronymi à nõnullis profertur & illud, quod scribit in fine libri decimioctaui Cõmentariorum in Isaiam: Sicut diaboli & omnium negatorum & impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta; sic peccatorum & tamen Christianorum,quorum opera in igne probanda sunt atq; purgãda,moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiam iudicis.Vbi proculdubio peccatores intelligẽdi sunt, qui quamuis totam propè vitam in sceleribus exegerint, tamen vel prius paulò quã ex hac vita migrent,veris gemitibus Christianos se esse meminerunt.Quomodo & apud Theophylactum,cùm scribit in caput Lucę 12. non semper qui moriuntur peccatores mitti in gehen-

Circa finẽ ex persona Attici.

gehennã, ſed eſſe in poteſtate Dei, vt etiam dimitti poſſint. Quod (inquit) dico propter oblationes & diſtributiones quæ ſiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his qui in grauibus peccatis mortui ſunt. Non ergo ceſſemus (ait) per eleemoſynas & interceſſionem propitium reddere eum, qui poteſtatem habet mittendi, non ſemper autem poteſtate vtentem, ſed & valentem remittere quiddam. Laudat etiã Hieronymus Pammachium, quod eleemoſynis oſſa riget vxoris. Nimirum hoc ipſum ita ſignificans, quod alij refrigerium dicunt, aut certè reliquarum ſordium abſterſionem. Paulinus item ille Nolanus epiſtola 1. ad Amandum Epiſcopum ſic loquitur: Vt Deus (inquit) qui facit omnia in cælo & in terra, refrigeret animam eius ſtillicidijs miſericordiæ ſuæ per orationes veſtras. Concilium quoque Carthaginenſe quartum, canone 79. decreuit eorum pœnitentium, qui attentè leges pœnitentiæ executi eſſent, ſi caſu in itinere, vel in mari obijſſent, memoriam orationibus & oblationibus Domino cõmendari oportere. Quid iam Diuus Ambroſius? Nónne is Theodoſio in oratione funebri requiem precatus eſt? Hoc proculdubio ſignificans, potuiſſe ei non continuò requiem præberi, quæ tamẽ deſperari non deberet, ſed magna eſſet petenda fiducia: Epiſtola quoque quæ eſt ſcripta ad Fauſtinum, pro obitu germanæ acerbo dolore merentem, Non tam deplorandam (inquit) quam proſequen-

dam

dam orationibus reor, nec iustificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror. Horum grauissimam authoritatem alij secuti; vt Boëtius lib.4. de Consolatione; vbi cum ipse interrogasset philosophiam, nulláne post defunctum morte corpus supplicia relinqueret? sic eam respondentem introducit. Et magna quidem (inquit) quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia exerceri puto. Sic ille designati libri prosa quarta. Cuius viri etsi non maxima in Ecclesiæ dogmatibus stabiliendis authoritas est, tamen & nota virtus ac probitas, & illis eius verbis expressa sentẽtia est, quam cum Catholicis cæteris communem sibi esse monstrarit. Est & Damasceni sermo de defunctis, in quo res eadem, & ex Machabæorum libro secundo, & Apostolicæ traditionis authoritate, & Dionysij Areopapitæ, Gregorij Nazianzeni, Chrysostomi, Gregorij Nisseni testimonijs validissimè confirmatur.

Catholicæ Ecclesiæ Patres non consensu tantum suo, verumetiam interdum ex professo vrgere ad credendum. CAP. XXV.

SEd Aretius non hunc tantummodo consensum agnoscit Ecclesiæ patrum, verum etiam addit vrgere eos interdum ad credendũ. Quod vsque adeò verum est, quamuis ipsa inimici

mici

mici confeſſione expreſſum, vt pro hæreticis habuerint eos qui id negarent. Aërium enim & Sanctus Epiphanius,& Diuus Auguſtinus hæreticorum in numerum propterea retulerunt, quod oblationes negaret pro defunctis eſſe faciendas. Sic enim Diuus Epiphanius loquentem inducit. Qua ratione poſt mortem nominatis, inquit, nomina mortuorum? Orat enim viuẽs aut diſpenſationem facit, quid profuerit mortuo? Si verò omnino preces eorum qui hic ſunt proſunt illis qui iſtic ſunt, igitur nemo ſit pius, neque boni quicquam faciat; ſed acquirat amicos quoſdam per quem vult modum, aut per pecunias perſuadens, aut amicis id in obitu demandans, & orent pro ipſo, vt ne quid patiatur, neque immedicabilia peccata ab ipſo perpetrata requirantur. Hac ſua voce declarat hæreticus quæ fuerit Eccleſiæ Catholicæ tum fides; Nimirum excedẽtes hinc quoſdam ob ſua peccata aliquid pœnarum in altero ſæculo pati, vnde poſſint liberi euadere precibus amicorũ, aut eleemoſynis in eorum gratiam diſpenſatis. Cui fidei quod opponeret non aliud tum Eccleſiæ inimicus habebat, quam quod ſi ita eſſet liceret cuique ſceleratè viuere, cui præſertim facultas nõ deeſſet amicorum ſibi beneficia comparandi quæ eſſent poſt mortem profutura. Quaſi verò preces atque oblationes quæ pro defunctis ſecundum Eccleſię fidem ac morem fierent, quibuſlibet profuturæ dicerentur, & non Chriſtianis ſolis, atque ijs quidem Chriſtianis

Epiphan. hære. 75.

ſtianis qui in gratiæ ſiue iuſtitiæ ſtatu ex hoc mundo migrauiſſent. Si enim in hac vita nulla ad reconciliationem ſcelerate viuentium officia proſunt, ſed ij duntaxat alienis precibus atque operibus ad impetrandam diuinæ benignitatis gratiam adiuuantur, qui à propria ipſi iniquitate receſſerint, ſeque ipſos ſic iuuare cœperint: multo magis exiſtimandum eſt extinctis in iniuſtitia hominibus, nullum afferri poſſe leuamen aut ſolatium quibuſcunque operibus, quæ in illorum gratiam ſuſcipiantur. Sed Aërio ſic reſpondit Epiphanius, erroriſque abſurditatem demonſtrauit. De eo verò, inquit, quod proferantur nomina vita defunctorum, quid hoc magis fuerit vtile? quid hoc commodius & magis admiratione dignum? quod credunt præſentes, quod hi qui deceſſerunt viuūt, & non ſunt nulli, ſed ſunt & viuunt apud Dominum, Et vt pientiſſimam prædicationem recenſeam, quod ſpes eſt orantibus pro fratribus velut qui in peregrinatione ſunt. Proſunt autem & preces pro ipſis fientes, etiamſi totam culpam non abſcindant. Verum enimvero eò quod nos ſępè dum in mundo ſumus fallimur, & erramus tum inuiti, tum voluntariè, quo id quod perfectius eſt ſignificetur, & pro iuſtis, & pro peccatoribus memoriam facimus, pro peccatoribus quidem miſericordiā Dei implorantes, &c. Hactenus ſanctus Epiphanius: cui D. Auguſtinus conſentiens eundem Aërium ſimili de cauſſa retulit in numerum hæreticorum,

eo ipſo

eo ipſo declarans vrgere ſe ad credendum, quia pro hæretico ſit habendus qui pertinaci animoſitate reclamet. Diuus etiam Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. dicit credendum eſſe purgatorium ignem ante iudicium illud extremum, propterea quod veritas dicit, eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, quod neque in hoc ſæculo remittatur, neq; in futuro. Venerabilis Beda ad fidem deuotionemque pietatis refert, orare, eleemoſynas facere, victimas ſacræ oblationis offerre pro ereptione eorum qui de hoc ſæculo migrauerunt. Atque hanc ipſam fidem per aliquot poſtea ſæcula in Eccleſia Dei continuatam, Sanctus Bernardus oſtendit; qui & ipſe pro hæreticis habuit quoſdam ſui temporis nouatores, qui (vt ait) Purgatorium ignem non credebant reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire vel ad damnationem.

Lib. 4. hiſt. gentis Anglorum, cap. 22.

Serm. 66. in Cantica.

Quod licet conſuetudo non præiudicet veritati, index tamen ſit teſtiſque veritatis. CAP. XXVI.

SEd ad ea quæ producũtur ex Veterum ſcriptorum libris teſtimonia, vna tibi reſpõſio eſt, qua dicis veritati conſuetudinem non præiudicare. Magis quidem conueniebat vt diceres, cõſenſum non præiudicare veritati, quia de conſenſu teſtium, non de conſuetudine alicuius obſeruationis agebatur. Admonuiſti tamen

pro

pro nostris partibus vtiliter non solum consensum Patrum hac de re scribentium, verumetiam consuetudinem Ecclesiasticæ seu Christianæ obseruationis à nobis spectari oportere. Ac tametsi nec consuetudo nec consensus, non solum hominum, sed neque Angelorum sanctorum præiudicet veritati, tamē nunquid hoc efficit vt vel consensum Patrum, vel Ecclesiæ totius consuetudinem, tuo more, pro nihilo habere queamus? Audeo dicere non Angelorum tantum beatorum, sed nec trium diuinarum personarum consensum præiudicare veritati, quia nec veritas præiudicare veritati vllo modo potest. An ideò consequens est vt liceat non habere pro certo, id in quod diuinæ personæ consenserint? Nec igitur consuetudo vlla Christiani populi, quantumlibet vetus veritati præiudicat, aut præiudicauit vnquam: & tamē beatus Apostolus contentiosis opponit consue-
1. Cor. 11. tudinem cùm ait: Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Cui si responsum esset, cōsuetudinem non præiudicare veritati, nunquid ex aduerso præiudicare confirmasset? Nullo modo: & tamen consuetudinis rationem haberi se velle dixisset. Sicut igitur illa consuetudo cuius Apostolus meminit, nō præiudicabat veritati; & tamen seruanda erat, eique cedere debebat omnis contentio: ita hæc nostra, imò totius Ecclesiæ consuetudo qua pro defunctis fidelibus funduntur preces, sine cunctatione

sequen-

ſequenda eſt. Non enim aut conſuetudo obſeruantium, aut conſenſus affirmantium, pręiudicat veritati, ſed index eſt, teſtiſque veritatis. Ac ſicuti dubitare non debemus verum eſſe, quod ab Eccleſiæ Patribus atq; paſtoribus, & iam & olim conſentienter aſſeritur; ita dubium eſſe non debet, quin rectum & veritati conſentaneũ ſit, quod veteri & publica perpetuaque Eccleſiæ conſuetudine cõformiter obſeruatur. Ideoque D. Auguſtinus hac ipſa in cauſſa noſtra, conſuetudinem quanti facere oporteret oſtendens, ita ſcribit capite 1. libri de cura pro mortuis. Poterat inquiſitioni tuæ ſufficere mea breuis iſta reſponſio; ſed quia alia mouent, quibus reſpondendum exiſtimo, parumper attende. In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed & ſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret authoritas: vbi in precibus ſacerdotis quæ Domino Deo ad eius altare fundũtur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. Sic eo loco. Generatim verò quantum ſit Eccleſiaſticæ conſuetudini tribuendum, docet in epiſtola quam ſcripſit ad Caſulanum. In his rebus (inquit) de quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei & inſtituta maiorum pro lege tenẽda ſunt: & ſicut præuaricatores diuinarũ legum, ita contemptores eccleſiaſticarum conſuetudinũ coercendi ſunt. Hoc eo loco ſi verè dicit D. Auguſtinus, quid igitur *Epiſt. 86.*

O exiſti-

existimandum erit, vbi ad certam scripturarum doctrinam Ecclesiæ consuetudo accesserit? In epistola verò ad Ianuarium, Ecclesiasticæ consuetudinis tantam vim esse demõstrauit vt diceret: quod tota per orbem frequentat Ecclesia dubitare quin ita faciendum sit, insolentissimæ insaniæ esse. Et hæc atque eiusmodi ille dicit: cuius alio†loco illa sententia est. Nemo cõsuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit: qui etiam non ignorabat, quamuis non in bona caussa, benè tamen à diuo *Cypriano dictum; Consuetudinem sine veritate, nihil esse aliud quam erroris vetustatem. Num igitur in his secum pugnat Augustinus, qui vno loco dicat cõsuetudinem veritati cedere oportere, alio loco censeat consuetudinis contemptores esse coërcendos? Minimè verò: Vt enim si quis mihi consensum generatim obijciat, nec dicat quorum ille sit consensus, non magni pendendum putem; ita consuetudine sine discrimine allegata, nihil me premi arbitrabor. Tãtum interest quorum consensus, aut cuius populi dicatur esse consuetudo. Nam & in errorem multorum sæpè consensus est, & consuetudo potest contra veritatem & rationem irrepere. At si consensus consuetudoque Ecclesiæ proferatur, (quod & nos facimus, & cum Apostolo faciebat D. Augustinus) quis non continuò, qui obstinatissimus non sit, contentionis suæ vela deponat?

Epist. 118. cap. 5.

†Libro 3. de bapt contra Donat. c. 7. Citatur in Decret. apud Grat. dist. 8 ca. Veritate.

* Epist. ad Pompeium. Ibidem apud Gratia. cap. Consuetudo.

Dupli-

Dupliciter intelligi posse, afflictionem Purgatoriam. CAP. XXVII.

SEd de Augustino ita subiungis. *Augustinus quidem aliquoties id affirmat, vt de Genesi contra Manichæos libri 2. capite 20. Et de vera & falsa pœnitentia capite 18. vbi & de grauitate ignis illius differit. Et libri 21. de ciuitate capite 23. affirmat quosdam pœnas temporales ferre post hanc vitam. Et capite 26. Non redarguo, inquit, quia forsan verum est. Sed his locis & similibus opponendos censemus alios ex eodem Augustino, in quibus idipsum vel negat, vel dubitanter inducit, vt Libro 5. contra Pelagianos: Tertium locum ignoramus, &c. Et in Enchiridio cap. 67. ait eos, qui diuturno non tamen æterno igni puniri tradunt quosdam, falli humana quadam beneuolentia: nam Scriptura diuina aliud consulta respondet. Et in quæstionibus vtriusque test. non dubitat dicere, in futuro solum esse remunerationem & condemnationem; hic autem aut soluuntur aut ligantur peccata. Sic dubitanter hanc quæstionem de Purgatorio infert, in Enchiridio cap. 69. Item de fide & operibus cap. 16. Et in quæstione prima Dulcitij: Tale aliquid post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrum ita sit quæri potest. Ex quibus perspici potest dubitasse & ipsum Augustinum: Sed quia recens erat quæstio, & à multis acriter vrgeretur, alias concedit, alias dubitat; interdum caussa ita postulante palàm negat.* Hactenus ille.

Igitur vnum è Veteribus dubitasse interdum videri vis Augustinum, sed perspicuè demonstrari oportebat abs te quid id sit de quo dubitarit. Dicis enim eum de Purgatorio dubitasse, neque vlla eius verba profers quę hanc dubitationé expresserint. Potest esse aliqua res dubia & incerta de Purgatorio, quamuis dubium non sit Purgatorium existere. Certè pro defunctis adiuuandis atque leuãdis, orationes rectè fundi oblationesque fieri, nusquam dubitat Augustinus: atque vsque adeò tenuit hoc rectè fieri, quoniam id tota per orbem Ecclesia frequentaret, vt sciret dubitare quin ita faciendum esset ad insolentissimam insaniam pertinere. Dubitat igitur Augustinus, suamque dubitationem tribus maximè locis explicauit, Enchiridij cap. 69. De fide & operibus cap. 16. Et libro 21. de Ciuitat. capite 26. Sed non de eo quod tu existimas dubitauit. Quod vt intelligatur plenius notandum est, cum omnis repurgatio à maculis & sordibus sit, bifariam posse hominem inquinatum & deformem intelligi, seu turpem: videlicet à culpæ macula, vitiosarumque affectionum & cupiditatum sordibus; aut à reatu pœnæ, siue turpitudine supplicij quod ex peccato incurritur, cuiusmodi est, in patibulum agi, aut carceris squalorem perpeti. Propter hoc enim sordium genus, quod in peccatorum pœnis & vili abiectione constitutum est, dicit Christus per Isaiam

Isaiæ 63. se inquinasse vestimenta sua: Et in prophetia

Zacha-

Zachariæ, Iosedech, qui Christi typum gessit, turpia scribitur vestimenta induisse. Sed & in Psalmis Christus de luto fæcis eductum se resurrectionis gloria gratulatur. Vt igitur duplex est inquinamentorum genus, sic potest ipsa hominis purgatio bifariam intelligi: vel ab affectu prauo & cupiditate sæculi huius; vel à pœna peccati, tanquam à sordibus carceris, dum in pristinum honorem ac nitorem restituitur, penitusque liberatur. Prius illud purgationis genus, non raro D. Augustinus attendit, vt Libro 9. de Ciuit. Dei, cap. 15. & 16. vbi distinguit emendationem peccati & cohibitionem à peccato, ab ipsa punitione. Clarissimè vero libro 21. de Ciuitate Dei cap. 13. vbi contra Platonicos multa differit, qui omnes pœnas purgatorias esse censebant, quia per eas fieret emendatio atque correctio. Platonici, inquit, quamuis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putãt, vel humanis inflictas legibus vel diuinis, siue in hac vita, siue post mortem; si ita parcatur hic cuiquam aut ita plectatur vt hic non corrigatur: Et paucis interpositis: Qui hoc opinantur, inquit, nullas pœnas nisi purgatorias volunt esse post mortem, vt quoniam terris superiora sunt elementa, aqua aër, ignis, ex aliquo istorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione contractum est: Et infra; Nos vero etiam in hac quidem mortali vita esse quasdam pœnas purgatorias confitemur, non quibus

Zachar 6

Psal 39.

affliguntur, quorum vita vel non indè fit melior, vel potius indè fit peior, sed illis sunt purgatoriæ qui eis coërciti corriguntur. Iuxta hanc igitur quam D. Augustinus cum Platonicis aspexit purgatoriæ pœnæ significationem, incertum se subindè esse declarat, sintne pœnæ ad hunc modum purgatoriæ post hanc vitam, quibus videlicet affectus quidam praui atque distorti corrigantur & aboleantur; an vero omnes potiùs istiusmodi affectus & amores sæculi, quibus sæpenumero iusti homines tenētur vsque ad corporis mortē, in ipsa corporis & animæ dissolutione prorsus secundum seipsos intereant. At iuxta posteriorem purgatoriæ pœnæ rationem, qua videlicet per temporariam afflictiònem transit homo ad plenam libertatem, nusquam se D. Augustinus de Purgatorio dubitare significat, quin illo ipso capite 13. postquam dixisset, in hac vita ijs duntaxat purgatorias esse pœnas, qui illis coërciti corrigerētur, subiunxit temporarias pœnas alios in hac tantum vita, alios post mortē, alios & nunc & tunc (verùtamen ante iudicium illud seuerissimum nouissimúq;) perpeti. Vbi proculdubio Christianarum animarū Purgatorium est, quia sufficiat ibi pœnas cōstituere temporarias, seu aliquando finiendas; quamuis an purgatoriæ sint, quomodo Platonici de purgatorijs pœnis loquebantur, non certò constet. Ideóque libro 2. de Genesi contra Manichæos capite 20. ignem purgationis post hanc vitam sine dubitatione

posuit,

posuit, scribens in hunc modum: Qui coluerit agrum suum interius, & ad panem suũ, quamuis cum labore peruenerit, potest vsque ad finem vitæ huius hunc laborem pati: post hanc autem vitam non est necesse vt patiatur. Sed qui fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terrę suæ in omnibus operibus suis; & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. Ita nemo euadit istam sententiam: sed agendum est vt saltem in hac tantum vita sentiatur. Sic D. Augustinus. Constat igitur inter Catholicos doctores, purgationem quorundam, post huius vitæ mortalis exitum, diuino iudicio fieri: Neque ea purgatio intelligenda est nisi à peccatis grauioribus hic remissis, aut puluere quodam sæculari, quo perfacile est inquinari eos qui super terram desiderijs adhuc sæcularibus gradiuntur. Cæterum cum in peccato sint, & affectus & reatus; neque habeatur exploratissimum vtrum sit post hanc vitam ab affectibus carnis in ipsa voluntatis correctione futura purgatio, tamẽ quin sit tum futura purgatio à peccatis quoad reatum, neque id modò Ecclesiæ dubium est, nec fuit vnquam inter Catholicos tractatores controuersum. Atque id sufficit vt Purgatorij ratio teneatur, ne videlicet illud magnoperè sit formidandum quod Lutherus obijciebat, Punitorium, non Purgatorium vocari oportere. Pœna quippe est, sed per quam peccati debitum

abstergitur, Carcer est & pœna polluens, vt plenè repurget à vinculis & obligatione peccati; breuis est seruitus, sed per quam tribuitur æterna libertas.

Habes Areti quid sit quod pro incerto habuerit Augustinus; id nimirum quod ne nunc quidem satis certum est: & quid rursum sine dubitatione tenuerit, hoc ipsum videlicet quod nunc Catholica tenet fides, vestra vero hæresis oppugnare non desistit. Neque verò ea res Augustini ætate aut dubia fuit, aut quæstionem habuit, in qua, vt fingis, à multis acriter vrgeretur, sed si qua prius per Aërium hæreticum mota quæstio fuerat, ea diligenter magnoque consensu Ecclesiasticorum tractatorum refutata est, celeriterque damnata & oppressa; nihil vt D. Augustino, vel alijs eius coætaneis negotij relictum sit hac quidem in parte, vbi possent vrgeri. Quod si te in aliam opinionem induxerit epistola quæ inscribitur [Cyrilli Hierosolymitani ad Augustinum] in qua expressum est post obitum Hieronymi quandam hæresim inter Græcos surrexisse, quæ ad Latinos vsque deuenerit, qua assereretur nullum fore Purgatorij locum, in quo animæ quæ nondum de suis peccatis in mundo plenam egissent pœnitentiam, purgarentur: Potuit eadem epistola hanc ipsam opinionem eximere, in qua narretur Diui Hieronymi meritis tres mortuos ad vitam reuocatos, qui de pœnis, & æternis & purgatorijs tam efficaciter testificati sint, vt

hoc

hoc pacto hæresis confestim in fumos abierit, prius omninò quàm Augustino potuerit esse molesta. Neque proindè, vt dicis, tanquàm fluctuans, aliâs concedit aliâs dubitat, interdum caussa ita postulante palam negat, sed de quorundam fidelium pœnis non perpetuis post hanc vitam, à quibus vt liberentur precibus, eleemosynis, missæque sacrificijs agendum sit, dubitat nunquam; quin hoc ipsum varijs locis concedit: nullo denique in loco, aut tectè aut palam negat faciẽdum esse, quod & sedulò pro sua matre fecit, & illa vt id pro se fieret, filio commendauit. *Vide libro 9. Confess. cap. 13.*

Nam quod de tertij loci ignoratione repetisti, ad id iam antea responsum est: Quin & hoc addam, tantum abesse vt ea de re dubitauerit Augustinus, vt etiam apertè disertisque verbis dubitandum esse negauerit, serm. 34. de verbis Apostoli. Sic enim scribit: Proindè pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorũ opulenta constructio, viuorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Addit etiam verbis consequentibus, cur dubitandum non sit: Hoc enim, inquit, à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro ijs qui in corporis & san-

guinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur; ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum caussâ opera misericordię celebrantur, quis eis dubitet suffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum est ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, vt possint hæc eis vtilia esse post mortem. In his verbis Augustinus non semel duntaxat, sed iterum ac tertio omnem dubitationem abigit, simulque declarat propterea de eo dubitare nefas esse, quod & à Patribus sit traditum, & ab vniuersa Christi Ecclesia obseruatum. An forte alias nesciebat Augustinus quid haberet ea de re traditio Patrum, quid Ecclesiæ obseruatio, & ideo dubitabat? Quæ si de tanto Ecclesiæ præsule absurda existimatio est; nunquam ergo dubitauit, quoniam hæc ei cur dubitandum esse negaret caussa fuit, quod maiorum traditioni vniuersæ Ecclesiæ obseruatio responderet.

Ex veteri pro defunctis officio Ecclesiastico, clarè colligi Purgatorium Christianarũ animarum. CAP. XXVIII.

ADdis tamen pari impudentia, hunc in modum cætera contexens:

Et sanè, inquis, *apparet ante tempora Augustini plane fuisse ignoratum Purgatorium. Sed quia*

quia Veteres in exequijs habebant conuentus, in quibus habebantur conciones, orationes, fiebant eleemosynæ, & defunctis lætam comprecabantur resurrectionem, posteri malè hanc consuetudinem ad preces pro defunctis applicarunt; quibus peior subsequens ætas orta est, quæ Purgatorium inde comminisceretur. Ac veteris illius consuetudinis manifestum est indiciũ apud Papistas. Nam illi in officijs mortuorum, quæ Vigilias appellant, nullam faciunt mentionem Purgatorij, sed resurrectionis solum & magnitudinis peccatorum. Libera me Domine (canunt) de morte illa æterna, in die illa tremenda &c. Et, de profundis libera me (clamant) non ex Purgatorio, &c.

Fateris Areti, Veteres in exequijs habuisse conuentus in quibus orationes funderentur, & eleemosynæ fierent. Quæ te cõsuetudo, si saperes, commouere posset, vt non existimares vanum esse quod etiam de Purgatorio creditur. Nam & propterea eleemosynæ fiebant, vt defunctis subueniretur, & (quod omittis studiosè quamuis eius expresse Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, cæterique meminerint) sacrificiorum oblationes. Quibus rebus omnibus quid opus erat, nisi vt defunctis indulgentia, & à pœnis leuatio impetraretur? Propterea ergo lugebãt Africani populi, abductis in exilium persequutione Vandalica sacerdotibus, ea voce quam sic Victor Vticensis expressit. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? à quibus diuini

Lib. 2. persq. Vandalica.

diuini ſacrificij ritus exhibẽdus eſt conſuetus. Nam de læta reſurrectione iuſtorum, quos omnes ſtatim vos in cælum ſubuolare creditis, & beatifica Dei viſione frui, nulla eos ne temporaria quidem pœna remorante, non fuit quod quiſquam deberet ad eum modum eſſe ſolicitus. Alioqui & pro Martyribus hæc in Eccleſia frequentarentur officia, cum tamen è diuerſo illud tritũ ſit, iniuriam facere Martyri qui orat pro Martyre: Quod & Auguſtinus, vt iam tum vulgatum referens, Ser. 17. de verbis Apoſtoli: Perfectio (inquit) in hac vita nonnulla eſt, ad quam ſancti Martyres peruenerunt; Ideoque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles nouerunt, cum Martyres eo loco recitãtur ad altare Dei, vbi non pro ipſis oretur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur: Iniuria enim eſt pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. Sic Diuus Auguſtinus. Quare poſteri ſuorum patrum optimè perſpectam habentes fidem, rectè maiorum ſuorum cõſuetudinem in ijs precibus quæ pro defunctis liberandis fierent tenuerunt. Nec ratio eſt cur peior putetur ætas ſubſequens, quia inde Purgatorium crediderit, cum nihil aliud ſit noſtra de Purgatorio fides, quam ea perſuaſio ex qua pro defunctis oratio naſcitur, qua id petitur à Dei benignitate vt à ſuis ærumnis atque miſerijs, plena libertate donentur. Ideoque pro defunctis canere fideles ſoliti ſunt, Kyrie eleyſon; qua voce petitur miſericordia, quæ ſolis eſt

miſe-

miſeris neceſſaria. Eam ob rem in cõcilio Arelatenſi 3. quod Leone primo Pontifice coactum eſt, remotis quibuſdam peſtiferis canticis, & inepta lætitia, qua laici in excubijs funeris diffluebant, prætextu beatæ Christianorum mortis; ſi quid canere laicus deſideret, cantare iubetur, Kyrie eleyſon. Hæc enim Chriſtiano luctui congruebat precatio, quem pro defuncto ſuſcipi conuenire, veterum exemplis patres illi docuere. Quod autem ais, in officijs mortuorũ quæ Vigilias appellamus, nullam fieri à nobis mentionem Purgatorij, quid id te adiuuat, cum res ipſa quæ Purgatorij vocabulo ſignificata eſt luculenter exprimatur? Cur enim illis peteretur requies, niſi eſſent in labore? cur lux æterna, niſi adhuc in tenebris verſarentur? cur ſinus Abrahæ Iſaac & Iacob, vnde aufugit dolor & triſtitia, ſi mox in eo læti ac ſine omni dolore acquieſcũt? Hæc, quæ facilè ſunt in officio defunctorum celeberrima, & ex veterum libris voceque populi Chriſtiani publica atque perpetua, in vſum Eccleſiaſtici cantus inducta, tu vel de induſtria præteris, vel non attẽdis quam vim habeant ad Purgatorij ſignificationem. Cap. 5.
Neque neceſſe eſt plura ex ipſo officio repetere, cum vnum hoc ſufficiat; hoc (inquam) quod pro defunctis vſurpat, ſemperque vſurpauit populus Chriſtianus, Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Cui & illud aptiſſimè conſonat quod in ſacro Miſſæ canone, Græcis pariter Latiniſque conſentientibus le-

bus legitur: Ipsis Domine,& omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij lucis ac pacis vt indulgeas deprecamur, per eundē Christum Dominum nostrum. Quò denique præter Tertullianum de vidua, quæ marito defuncto requiem poscit, D. etiam Ambrosius videtur alludere, cum sic ait de obitu Valentiniani: Date manibus sancta mysteria, pio requiem eius poscamus affectu, Date sacramenta cælestia, animam piam matris oblationibus prosequamur. Et rursum in oratione funebri de obitu Theodosij Imperatoris: Tu (inquit) Domine solus inuocandus es, tu rogandus, vt eum in filijs repręsentes: Tu Domine custodiens etiam paruulos, in hac humilitate saluos facito sperātes in te. Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis.

Quid de illis sentiendum sit, qui ex gentilium libris aliquam Purgatorij significationem petunt. CAP. XXIX.

SEquitur (inquis) *vt alia firmamenta Purgatorij videamus. Ex sacris malè astruitur, & Patres illi malè patrocinantur: si res Poëtis & Philosophis cōmitteretur, pleniora haberi possent testimonia. Notum est plura fuisse catarismon genera. Homicidiū purgabatur flumine bis septies abluēdo: & Theseus post occisos Pallātis filios Purgationis caussa è Trœzenijs abijt, & Adrastus ad Cresum regem profugit, vt purgaretur à cæde.*

Pastor etiam oues solebat purg... e sulphure, herba sabina & lauro igne succensis, ac circum ouilia suffibat, cum sacro carmine milio & libo, cum lacte & sapa Pali Deæ sacra faciebat. Romæ exercitus solebat purgari sue, oue, & tauro. Hos & similes mores frequenter inuenias apud Ethnicos scriptores. Ac fiebat omnis purgatio vel per aërem, vel per ignem, vel aquam. Sed vt ad nostra veniamus, Purgatorium depictum habes apud Virgilium sexto Æneidos, vbi Anchises ita loquitur.

Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: alij sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus,
Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purúmque reliquit
AEthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Quibus sanè non poterat melius exprimi ratio Purgatorij. Et Pindarus Græcus Poëta in Olympiade secunda, affirmat lustratos demum apud inferos peruenire ad Saturni illam vrbem, in beatorum insulis, quam Tyrsin vocari dicit. Huic Purgatorio vehemẽter fauerunt & Philosophi, in primis Pythagorici & Platonici. De Platone satis constat ex Dialogo Phædone & Axiocho, vbi defunctos fluminibus inferni purgari dicit, priusquam perueniant in campos Elyseos. Ex quibus sanè constat Purgatorium, nihil aliud esse quam

Philo-

Philosophoru & Poëtarum figmentum, quibus hoc debent eiu defensores Christiani.

Hactenus ille.

Si Catholicam de Purgatorio fidem tam irridendam ostendisses, quam tu hic multum, Areti, ridere ac rideri voluisti, iam profectò cōfusi discedere cogeremur. Sed quantum quidem rideri cupias animaduertimus, quid autem irridendum probes non videmus. Posteaquam enim illa omnia de varijs gentilium purgationibus vano labore collegisti, ne tamen ad rem nihil pertinere putarentur, concludis ex iis constare, nihil aliud esse Purgatorium quam Poëtarum & Philosophorū figmentum. Quid ais? an quia Poëtæ & Philosophi purgationes finxerunt, ideo Christianorum Purgatorium nihil est nisi Poëtarum & Philosophorum figmentum? Poteras eodem modo & Christi descensum ad inferos, & inferorum pœnas, & iustorum in cælo felicitatem, Philosophorum & Poëtarum esse figmenta concludere; quoniam & Poëtæ quorundam ad inferos finxêre descēsus, & Philosophi supplicia improborum, & bonorum felicitatem post corporis dissolutionem esse putauerunt. Neque verò in colligendis eorum hac in parte testimonijs, minus esse disertus & copiosus potuisti. Occurrisset indubiè homini literato, mox illud Ouidij:

— *Thesea Pirithous Stygias comitatur ad vndas.*

Et quod apud Homerum scribitur de Vlysse, qui ad inferos descenderit, indeque redierit: Itemq;

Itemque apud Vergilium de Ænea, (quæ illi Poëtæ ad commendandam fortitudinem, singularemque virtutis excellentiam retulerunt.)

facilis descensus Auerni:
Sed reuocare gradum superásque euadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.

Quo etiam pertinent ipsi campi Elysij, quos ex Platone cōmemoras, nisi vt aliqua post mortem bonorum felicitas crederetur? Quam ob rem ergo hic quoque non concludis satis constare, inferos & cælum nihil aliud esse quam figmenta Poëtarum? Viam certè Areti demonstras qua possint & illa à prophanis hominibus irrideri, quoniam similia quædam à gentilibus videantur esse conficta; vsque adeò sæculum, non vitam modo iustorum beatã, sed nec ipsam resurrectionem mortuorum (quemadmodum Tertullianus ait) dum errat, ignorat. Sed & ipsa de vno mediatore Dei & hominum, de restituta per eum iustitia & felicitate fides Christiana, concludetur esse nihil aliud quã figmentum Sybillarum, imò etiam Poëtarũ; quoniam & Sybillæ, & ex Sybillinis versibus Poëtæ de Christo quædam prædixisse putentur: Nam Vergilius, vt ait Ludouicus viues, & Ouidius, manifestè in poëmata sua de Sybillinis carminibus versus mutuantur, quos nemo ita cæcus est, inquit, quin esse de Christo dictos perspiciat. Qualis est tota quarta Egloga Vergilij, & digressus de morte Cæsaris in fine primi Georgicorum. Apud Ouidium verò illa sunt:

Et Deus lumina lustro sub imagine terras.

Rursum:

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaq́ꝫ regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Item apud Lucanum de ijs quæ præcedent iudicium Domini:

Sic cum compage soluta
Secula tot mundi suprema collegerit hora,
Antiquum repetens chaos.

Denique & hoc ipsum quod pios dicis habere suũ Purgatorium in sanguine Christi, simili ratione ridebimus, quia (sicut ipse commemoras) Romæ exercitus sanguine purgari solebat. Sed & hominum cæde & sanguine purgationes atque expiationes in gentilitate fieri solitas, satis clarum est ex veterum scriptorum monumentis. Idcirco Diuus Ambrosius lib. 6. in Lucam, cum esse dixisset qui non statim credere possent per crucem mundo salutem esse refusam, Astrue ergo (inquit) per historias Græcorum hoc fuisse possibile. Sic interdum etiam Apostolus suadet incredulis, nec versus refugit Poëticos, vt fabulas destruat Poëtarũ. Si enim reuocetur in memoriam, quod legiones sæpe & magnos populos, oblatis aliquorum mortibus, historiæ Græcorum asserunt liberatos: Si recordentur quod Imperatoris filia propter Græcorum exercitus transferendos, ad sacrificium sit vocata: Si nostrum illud consideremus, quia sanguis taurorum & hircorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad carnẽ mundan-

dandam: Si peſtilentia regionum, aliquibus hominum contracta peccatis, vnius alicuius morte aſſeritur eſſe reſoluta; quod aut ratione præualuit, aut diſpoſitione conualuit, quo facilius in crucem Domini crederetur, procliue erit, vt qui ſua negare non poſſint, noſtra confirment. Hoc ergo genere argumenti, cum ſic vſus ſit Diuus Ambroſius, cur non ſimiliter dixerimus purgationem atque expiationem Chriſti ſanguine factam, nihil eſſe aliud quam gentilitatis commentum? Et hoc tamen tu Purgatorium diligenter excipis, cum ita ſubiungis:

Interea verè pij ſuum habent purgatorium in ſanguine Chriſti, qui ſanguis eſt noſtrum purgatorium.. Vnica enim eſt ſatisfactio pro peccatis mors Chriſti. Hoc ſufficiens eſt purgandi genus, vt non ſit opus illo fabuloſo.

Addis tamen habere bonos viros etiam ſua purgatoria in hac vita, ærumnas & antichimata, & fortaſſe alios Socraticam Xantippen. Cur hic quoque non metuis ne tibi illæ fabulæ de purgationibus obijciantur? Cur etiam tam abſurdum cenſes aut fabuloſum, ærumnas poni poſt hanc vitam purgatorias, cum tu nihil metuas aut dubites ærumnas purgatorias in hac vita conſtituere? quæ tamen pleniſſimæ purgationi per Chriſtum factæ tam obſtare debere videantur, quam illæ quæ poſt hanc vitam conſtituantur à nobis. An non attendis Areti, quam non modò cauſſam noſtram confirmes, dum illam infirmare conaris, verumetiam quam te-

ipſum ſubuertas, dum oppugnas veritatẽ? Ponis in hac vita purgationes, bonorum ærumnas & antichimata. Præſidio ergo nobis es ne accuſari poſſimus, ſi poſt hanc vitam eiuſmodi bonorum purgationem poſuerimus, qui præſertim hic per ærumnas & antichimata purgati non ſint. Ac ne metuere debeamus hic dominicæ purgationis occurſum, tu idem nobis adiutor es, qui præter ærumnas & afflictiones Chriſti, bonorum quoque antichimata purgatoria facis. Quid enim intereſt, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem ærumna & afflictio conſtituatur quæ purget, modò alia quæpiam quam Chriſti mediatoris afflictio purgatoria aſferatur? Poſtremo ſi illa interdum de Poëtarum libris à Chriſtianis ſcriptoribus collecta ſunt, nõ quo fides Chriſtiana quæ de Chriſto eſt, & purgatione per eum facta, aut de iudicio extremo ſic ſtabiliretur; ſed vt gentilibus demonſtraretur, non debere abſurdam videri Chriſtianorum ſententiam, quam ipſi quoque gentiles quos mirentur, vel ſuis prædictionibus vel carminibus commendarint, non debet tam alienum exiſtimari ſi in hac quoque de Purgatorio cauſſa & illa ſuperius poſita Vergilij carmina proferantur: non vt eiuſmodi teſtimonio probetur quod credimus, ſed vt oſtendatur ipſa quoque gentilitas, de purgatione poſt hanc vitam ſenſiſſe aliquid, quomodo & de tormentis impiorum, & de felicitate piorum, quas res ne tum quidem ignorat dum errat. Sic ſanè Ioannes

nes Eckius de Purgatorio contra Lutherum diſputans, non ſolum illa ipſa Virgilij carmina protulit, ſed adiunxit etiam aliqua Claudiani. Quin & Platonis atque Algaſelis Arabis idem meminit. Non (inquit) quod quicquã authoritatis Eccleſiæ Dei per hoc accedat, vt de Sybillinis & gentilium libris monet Auguſtinus, ſed vt confundatur aduerſarius, cum viderit veritatem gentilibus cognitam, quam ipſe patitur Chriſtianis eſſe abſcõditam. Quod ſi quis obijciat, authorem eſſe Iuſtinum in Dialogo cum Tryphone, eiuſmodi multa diabolum per ſuos miniſtros Poëtas atque Philoſophos euulgaſſe, vt noſtris fidem detraheret, eaque obſcuraret ac velut ſimilia fabulis indeque petita eleuaret; ideoque illos qui his vtantur, diabolicæ maleuolentiæ ſtudio nimium obſequi, nec prodeſſe, ſed grauiter pernicioſeque nocere, quemadmodum ille hoſtis per hæc introducta nocere ſtuduerit: huic reſpondebo diſcerni vigilanter oportere, quid ſibi diabolus propoſitum habeat, quidq; intendat ab eo quod omnipotens Deus vel ex ipſa diaboli maleuolentia in vſus Eccleſiæ ſuæ colligit atque decerpit. Nouit enim Dominus, etiam id quod factum eſt vt obſit, ad aliquam vtilitatẽ conuertere; quia quemadmodum Apoſtolus ait: Diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Quanquam ergo diabolus illas Poëtarum fabulas introduxerit, vt Chriſtianorum placitis tanquam Rom. 8.

ſimiliter fabuloſis, fidei minus haberetur, ideoque ſuæ maleuolentiſſimæ intẽtionis effectum præclarè ſortiatur in hæreticis, qui noſtra hæc tanquam gentiles fabulas redolentia repudiãt: tamen prouidentiſſima Dei erga nos benignitate hunc ex illis vſum decerpimus, vt ſi qui ſint qui noſtra vel vt falſa negent vel vt impoſſibilia irrideant; illa verò vt ſua mirentur, atque amplectantur, de his ipſis quæ teneant refelli & coargui poſſint. Sic enim procliuius erit, quemadmodum ait D. Ambroſius, vt noſtra confirment qui ſua negare non poſſunt. Ideóque contra gentiles, aut leues illos Chriſtianos, quos magis Poëtarum lectio & commenta quam inſtituta Chriſtiana delectant, aptius proferentur, quam aduerſus hæreticos, in quibus diabolus gratulatur indubiè ſe tam vberem ſtudij conatuſque ſui fructum reperire. Quo tamen tolerabilius facere videantur, qui & aduerſus hæreticos diſputantes, illa proferunt; poterit vel obiter annotari, quod Lactantius lib. 7. cap. 22. ſcribit: Quamuis Poëtæ veritatis arcana in parte corruperint, tamen ipſa res eò verior inuenitur, quòd cum prophetis in parte conſentiunt: quod nobis (inquit) ad probationem ſatis eſt.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE PVRGATORIO, LIBER SECVNDVS.

Contra Lucæ Lossij scholion in caput 21. libri tertij Alcuini De Trinitate.

PRÆFATIVNCVLA.



LCVINVS, cuius* ante quoque meminimus propter Aretij reprehensioné, Caroli illius verè Magni præceptor, vir & ætate sua inter optimos doctissimosque habitus, & post mortem à posteris iure laudatus, tres scripsit libros de Sancta & indiuidua Trinitate. Quod opus vt verè egregium, vereque pium & Catholicum, recognoscendum sibi, ac breui etiam illustrandum commentario Lucas Lossius existimauit. Sed in eo, tanquam pulchro alioqui corpore, næuum suo quidem iudicio reperit propter doctrinā de Purgatorio. Quæ si, vt clamitant, Christi satisfactionem euertit, grauis profectò & perniciosus est error, nec vulgaris næuus, sed in-

* Superioris libri cap. 8. & 10.

toleranda deformitas. Ac si tanta,vt censent, deformitate Alcuinus laborauit,nō dubium quin eadem & Carolo Magno, & Pastoribus,totiq́ue tunc inhæserit Ecclesiæ Dei, in qua hic Alcuinus doctrina & pietate singulari, simulq́; & præceptoris & Abbatis dignitate atque authoritate fulgebat. Ex quo perspici potest,huius Alcuini ea in parte repræhensionem, totius Ecclesiæ quæ ea tempestate Caroli virtute passim vbique florebat, grauem & iniuriosam damnationem esse. At nos eius Ecclesiæ, quæ acceptam religionem à prædecessoribus ad nos vsque transmisit, quoniam authoritatem suspicimus, vt eam in tanti momenti doctrina suspectam habeamus, id procul à nobis abesse debere arbitramur. Et quoniā ipse Lossius post Apostolos, quorum opera Ecclesiæ fundatæ sint toto orbe terrarum, missos esse dicit Episcopos, pastores, & doctores vsque ad nostra tempora; per quos iterum ineffabili misericordia Dei, vox Euangelij restituta & accensa sit: at-
Ephes. 4. que inter hos pastores & doctores Ecclesiæ, de quibus dicat Apostolus positos esse vt non essemus tāquam paruuli fluctuantes, meritò commemorari hunc ipsum

ipsum Alcuinum Abbatem Turonensem, idcirco quod de Alcuino dat nobis laudis, gratanter accipimus, lubentesque eundem in hac de Purgatorio doctrina vt doctorem Ecclesiæ sequimur; magisque eo ipso animamur, vt arguméta quibus aduersus Alcuinum vtitur, discutienda hoc loco, breuiterque & cursim duntaxat refellenda putemus.



Quas hæretici fingant origines doctrinæ de Purgatorio. CAPVT I.

EST (inquit Lossius) *hæc erronea & falsa opinio de Purgatorio, quam hîc Alcuinus vera & catholica doctrina de sancta Trinitate interserit. Est autem primum orta persuasio de Purgatorio, hoc est, pœnis & cruciatibus animarum post hanc vitam, à spectris, tempore Gregorij Pontificis, qui anno 590. vixit.*

Doctrinæ eius quæ de Purgatorio est veram originem, quoniá in diuinis literis hæretici nolunt agnoscere: fontem eius alibi reperire conantur. In quo proindè conatu, dissidere illos inter se necesse est, & tanquam errantes atque dispersos alium hic, alium alibi quærere; eorum videlicet communi more, qui à recto itinere aberrantes quærút aliquid vbi id inuenire non possunt. Itaque Lossius transuerso impeditus

aspectu non longè prospiciens, primã originem posuit in spectris tempore Gregorij: Caluinum non piguit ad superiora longè tẽpora respicere.

Ne enim (inquit) *deteriores essent prophanis hominibus Christiani, puduit illos nullum mortuis officium præstare, ac si penitus extincti forent. Hinc malè consulta sedulitas; quia si pigri essent in curandis funeribus, in epulis & oblationibus, putabant se magno probro expositum iri.*

Hoc Caluinus de prima traditionis huius origine, satis haud dubiè perspiciens, multò ante Gregorij tempora fuisse illam de Purgatorio persuasionem exortam: propter quam in iustis persoluendis animabus defunctorum susciperetur malè consulta, vt ait, sedulitas. Huius ergo sententia, gentilitatis æmulatio peruersa, purgatorium nobis peperit: at Lossij iudicio, spectra Gregorij. Quid igitur Machabæis hanc persuasionem generauit? etiámne spectra Gregorij? aut fortè peruersa gentilitatis æmulatio? Scilicet hac æmulatione tenebatur vir ille religiosissimus, qui diuinis protectus præsidijs meruit in bello fortis esse; cuíque propria tot subeundorum belli discriminum caussa fuit, patriarum legum amor, odiumq́ue prophani gentilium cultus.

Deindè (inquit Lossius) *propter quæstum est confirmata, & adhuc à Pontifice Romano, Cardinalibus, Canonicis & sacrificulis armis pertinaciter defenditur & retinetur, contra clarissima testimonia scripturæ propheticæ & Apostolicæ, quæ affir-*

affirmant non esse liberationem post mortem.

Imò verò, Lossi, quia iuxta clarissima scripturarum testimonia, ministerio potestatis eius cui Deus non sine caussa gladium dedit, doctrina hæc defensa est; non id pertinaciter, sed planè fortiter constanterque factum videri debet. Cur enim non hoc quoque modo, cum facultas adest, vestris aduersus ecclesiam pertinacissimis contentionibus resistatur?

Frustra gloriari Hæreticum in hac caussa, de claritate scripturarum.

CAPVT II.

NAm quod de clarissimis scripturarum testimonijs gloriaris, tale est, vt cum particulatim excutimus, vix obscuras quasdam sententiolas, illustri per tot sæcula veritati, depræhendamus opponi. *Affirmant enim scripturæ* (inquis) *non esse liberationem post mortem.* Sed quo loco? nusquam enim id scriptura expressit ad eum modum, cum non parũ intersit vtrum dicas, non esse liberationẽ post mortem, & non esse in inferno redemptionem siue liberationem. Post mortem quidem liberationem redemptionemque futuram, docet B. Apostolus; Quia & ipsa creatura (inquit) liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei: sed & nosipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectãtes redemptionem corporis nostri. Et Christus in Euangelio Rom. 8.

cùm

cùm ait, de futuro iudicio præmonens; Cùm
Lucæ 21. hæc videritis fieri, leuate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra. Erit ergo post mortem liberatio, imò ante mortem perfecta erit nemini: tantum abest vt verum sit docere scripturam non fore liberationem post mortem. Quod si intelligas docere scripturam non fore post mortem liberationem eam, qua quis à dominio peccati liberetur, & è regno tenebrarum tum primum in lucis iustitiæque libertatem transferatur; lubentes hoc tibi donabimus, modisque omnibus approbabimus. Sed quid hoc ad euertendum Purgatorium? Quod autem celebrè est in ore fidelium; In inferno nullam esse redemptionem, rectè intelligitur non solum de illo damnationis loco, vndè nemo post mortem eruitur: verum etiam de de ipso Purgatorio, propterea quod in eo qui sunt, redimere iam se suis operibus omninò nō possunt, ne à temporaneo quidem illo cruciatu: Verumque est generatim, in inferno nulli esse redemptioni, quemadmodum nec merito, locum. Hic enim, quod inculcandum est, omne meritum comparatur, quo quis post mortem aut leuari possit aut grauari. Quāquam de ipsa gehenna, quæ vsitatius inferni nomine concipitur, magis obuium habet sensum; quem Di-
Serm. 5. de Epiphania uus Leo sic expressit: Non ita delinquētes peccata delectent, vt illos in suis actibus vitæ finis inueniat; Quoniam in inferno nulla est correctio, nec datur remediū satisfactionis, vbi iam
non

non superest actio voluntatis; dicēte Propheta Dauid; Quoniam nō est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Tunc ergo nulla redemptio est, quando id fit, quod ille à se deprecatur; Ne quando vt leo rapiat animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat. *Psalm. 6.* *Psalm. 7.*

Quod autem adiungis ex Psalmo 113. Non mortui laudabunt te Domine: nónne attendis tam latè patere, tamque obscurum esse, vt possit etiam de ijs qui in cęlo sunt spiritibus, negotium facessere? Si enim mortui non laudant Dominum, nec Petrus igitur nec Paulus, nec sanctorum quisquam qui mortui sunt, laudant Dominum; redderturque hoc argumento non modò vacuum Purgatorium, verum etiam tristi & ignauo silentio plenum cælum. Imò verò quoniam purgatorius locus afflictioni & ærūnis ob peccata sustinēdis destinatus est, in quibus nec solet, minusq; conuenit Alleluia cantari, quæ vox Hebræis ad laudis significationē pertinet, magis illud abs te contra cælestem felicitatem quam contra purgatorium carcerem, torqueri oportuerat argumentum. Quippè his qui ob sua peccata affliguntur, non laudes necessariæ sunt, sed humilis & sine murmure patientia sufficere potest. Quid igitur probabilitatis habeat ista collectio? Post mortem non sunt laudes; non ergo pœnæ purgatoriæ, non afflictiones, non veniæ locus. Hæc eò dico, vt animaduerti possit, quam bono iure Lossius in

hac caussa, de scripturarum possit tanta perspicuitate gloriari. Tametsi non desint qui nihil aliud eo scripturæ loco declaratū putent, quam post mortem apud inferos, quo & iustorum spiritus ducebantur ante Christi ascensum, non posse psalmis, hymnis & canticis Deum collaudari, quomodo hic in terris iucunda quadam operum varietate colitur, eiusque laudes celebrantur, beneficiorum quæ in nos contulit cōmemoratione. Hæc enim sunt nostræ peregrinationis cōcessa temporibus, non quo Deus eiusmodi nostris egeret officijs, sed vt hic nobis vberes colligeremus pietatis & iustitiæ fructus. Cuius rei contemplatione & seipsum & alios Propheta pius, ad diuinas in hac vita laudes celebrandas, excitans; Non (inquit) mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui viuimus benedicimus Domino. Diuus Augustinus mortuos interpretatur peccatores, qui etiam hanc agentes corporis vitam, mortui sunt, vtpote à Deo suo qui animæ vita est, longo affectionum interuallo seiuncti. Iusti verò etiam carne mortui, viuunt Deo: vndè & Abraham, Isaac, &
Matth. 22 Iacob dicitur Deus; quia non est Deus mortuorum sed viuentium. Non ergo ij qui in suis peccatis mortui sunt, laudabūt te Domine; quia
Eccles. 15. speciosa esse non potest laus egressa ex ore peccatoris: neque omnes qui descendunt in infernum, eò quod peccator cum in profundum
Prouer. 18 malorum venerit, contemnit. Cæterum apud He-

Hebræos planior est sensus, quiq́; minus multò negotij, aut illis exhibeat ne cælestium spirituum laudes conticescant, aut nobis ne post hanc vitam sperari venia haud possit. Eum ita quidam expresserunt. In hac terra mortui non laudabunt te Domine, neque omnes qui per mortem descendunt in infernum. Hoc ergo significat; eos qui mortui sunt, apud viuos non posse laudare Dominum, neque iam cetibus nostris inferi, vt vna nobiscum præconijs extollant omnium seruatorē. Sed nos (inquit) quoad vixerimus laudabimus Dominum, ab hoc tempore vsque in finem vitæ, perpetuo halleluia. Tanquam diceret concludens, Quoniam ergo hominibus terrā tradidisti possidendam, in eaq; te ab ijs laudari voluisti, nomenque tuum apud viuos celebrari; ne quæso nos cultores tuos ex hac terra ante tempus rapi sinas violentia & scelere impiorum. Illud autem alterum: Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? doctissimi quidam interpretes de morte æterna accipiunt, quæ mors dicitur anthonomasticῶs, deque inferno, in quem demersi sunt peccatores & impij: eumq; sensum supra commemoratis verbis Diuus Leo sequutus est. Alij significatum volunt, quod ij qui mortui sunt atq; in infernum descenderunt, non possint apud eos qui superstites sunt, gratum pro acceptis à Deo beneficijs animum ostendere. Diuus vero Hilarius in Psal. 51. scribens, cuius ante verba posuimus

Psalm. 6.

Superioris libri cap. 4.

mus, interpretatur significari, in... reclusam esse mortuis facultatem bona sibi me... ta comparandi, vbi ex merito præteritæ vo... ntatis lex constituta aut pœnę aut quietis, exce... ntium è corpore suscipiat voluntatem. Ergo & hinc animaduertere quisque potest quæ sit illa scripturarum claritas de qua Lossius gloriatur, quando & tam varias interpretationes hæc scripturæ testimonia recipiant, & quamcunque omnium amplecti libuerit, nulla prorsus, doctrinæ quæ de Purgatorio est, aduersetur. At aliquam fortè aliam multò clariorem protulit ex libro Ecclesiastes, multoque vehementius nostro Purgatorio repugnantem.

Quomodo intelligendum sit, mortuos nescire quicquam, & non esse eis amplius mercedem. CAP. III.

ET *affirmat* (inquit) *scriptura, mortuos omninò nescire quid his in terris agatur, nec prodesse illis vlla merita aut opera viuorum. Nam sic Eccles. cap. 9. dicitur: Mortui nesciunt quicquam, & non est eis amplius merces: In obliuionem enim venit memoria eorum, &c. In quem locum inquit Hieronymus: Nos viuētes cognoscimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum: illi verò mortui nihil sciunt, neque expectant aliquam repromissionem atque mercedem, sed completa est memoria eorum. Neque ipsi meminerunt quæ scire debuerant, neque illorum iam Domini recordatio est.* Hactenus Lossius.

Qui

Qui si ea quæ protulit clarissima putet, dicat mihi quonam modo verum sit omnes mortuos obliuioni traditos, cum Apostolorum & Martyrum tam celebris apud Christianos memoria, & modò sit & fuerit semper? Dicat quémadmodum nos quidem nouimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum: at Petrus & Paulus & cæteri Apostoli hoc nesciant, qui sunt eius rei potissimum cognitione beati? Explanet quo pacto nullam expectent repromissionem, qui expectét redemptionem corporis sui, ipsis procul dubio cum hic agerent repromissam? Quod si hic sibi permittet è numero mortuorum excipiendi quos volet licentiam, quamobrē quod sibi concedi cupiet nobis denegabit? Si nullos excipi patietur, ostendat ergo sui testimonij non dico iam claritatem (cum hoc esse obscurum nemo non videat) sed etiam veritatem? Non quod illa vera esse non putem, sed quoniam vt ab eo sic intellecta, contra Ecclesiæ doctrinam torquentur, vera esse non possunt. Quid igitur est (inquis) Mortuis non amplius esse mercedem? Si tibi respondero hoc significari quod quidam reddiderunt, non esse mortuos apud viuos vllo amplius in pretio; videlicet vt eis, non post hanc vitam Sapiens neget esse mercedem, sed hic inter mortales in ijs rebus quæ consueto rerum humanarum cursu geruntur, quonam modo id mihi refelles, aut pro te facere dicturus es? Rursum, quia Diui Hieronymi testimonio niteris, quî tibi possit adiumento

esse hic eius commentarius? Quia (inquit) supra dixerat cor filiorum impleri malitia & procacitate, & post hæc omnia morte finiri; nunc eadem complet & repetit, donec viuunt homines eos posse fieri iustos: post mortem verò nullam boni operis dari occasionē. Peccator enim viuens potest melior esse iusto mortuo, si voluerit in eius transire virtutes; vel certè eo qui se in malitia, potentia, procacitate iactabat, & mortuus fuerit, melior potest quiuis pauper esse & vilissimus. Quare? quia viuentes, metu mortis possunt bona opera perpetrare: mortui verò nihil valent ad id adijcere quod secum semel tulêre de vita, & obliuione obuoluta sunt omnia; iuxta illud quod in psalmo scriptum est:
Psalm. 30. Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde. Sed & dilectio eorum & odium & æmulatio, & omne quod in sæculo habere potuerunt, mortis finitur aduentu: nec iustè quippe possunt agere nec peccare, nec virtutes adijcere nec vitia. Licet quidam (inquit) huic expositioni contradicant, asserentes etiam post interitum excrescere nos posse & decrescere. Et in eo quod nunc ait; Et pars non erit eis adhuc in sæculo, in omni quod factum est sub sole, ita intelligunt vt dicant eos in hoc sæculo, & sub hoc sole quem nos cernimus, nullam habere communionem: habere verò sub alio sæculo, de
Ioan. 8. quo Saluator ait; Non sum ego de hoc mundo; & sub sole iustitiæ: & non excludi opinationem quæ contendit postquam de hoc sæculo migra-

uerimus, & offendere posse creaturas & promereri. Hactenus D. Hieronymus: qui quod scriptũ est, Mortuos nihil scire amplius, interpretatur non de scientia cognitionis sed operationis: nihil enim mortui sciunt amplius facere, nec adijcere quicquam ad id quod secum detulêre de vita, ideoque nec eis merces est, quam possint benè operãdo promereri. Viuentes autem cùm sciãt se esse morituros, hoc metu extimulantur ad benè operandum, meritaq; hic sibi comparanda. Quæ autem huic expositioni contradicit opinio, apud eundem Hieronymum, id falsi continet quod merita constituat post hanc vitam, quibus in premio crescere quisque possit; cùm illic non merendi tempus sit, sed recipiendi secundum ea quæ quisq; gesserit in corpore suo. Alioqui quod in eadem opinione est, non habere mortuos partem sub isto sole visibili, sed habere sub sole iustitiæ Christo; nemo est qui negare possit. Sunt enim illi qui in Domino moriuntur, hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Sed sub isto sole partem nobiscum non habent, qui iam neque prosperitatis nostræ, neq; aduersorum quæ patimur possunt esse participes. Id quod si quis Sapientem hoc loco significare dicat voluisse, non video cur eum quisquam iure repræhendat. Quod verò Lossius profert ex eodem Hieronymi cõmentario, mortuos neque scire quicquam, neque vllam expectare repromissionem, cùm viuentes norint Patrem & Filium & Spi- Roman. 8.

ritum ſanctum; id vel non attendit, vel vt falleret attendere noluit, non de fidelibus mortuis, ſed de Iudæis à Diuo Hieronymo dictum. Myſticam enim poſt omnia loci huius expoſitionem tradens, in cane viuo gentiles, in leone mortuo populum circumciſum intelligit. Canis ergo viuens (inquit) nos ſumus éx nationibus: Leo autem mortuus, Iudæorum eſt populus à Domino derelictus: Et melior eſt apud Dominum iſte canis viuẽs, quam leo ille mortuus. Nos enim viuẽtes cognoſcimus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; illi verò mortui nihil ſciunt, neque expectant aliquam repromiſſionem atque mercedem, ſed completa eſt memoria eorum. Neque ipſi meminerunt quæ ſcire debuerant, neque illorum iam Dominus recordaturus eſt. Hæc ergo à Diuo Hieronymo de Iudæis incredulis, ſuáque infidelitate mortuis dicta eſſe cum ſit clariſſimum, conſideret lector Loſſij huius tranſuerſam intelligentiam, aut certè ſubdolam impudentiam, qui ea de Chriſti diſcipulis & ſanctis martyribus, omnibusq; Chriſtianis in Domino morientibus intelligi voluerit. Quibus etſi neque ſit neceſſarius honor ſepulturæ, quia poſſit fortius dicere Chriſtianus quam gentilis;

Cælo tegitur qui non habet vrnam,

vt eſt apud Lucanum: aut quemadmodum apud Vergilium legitur;

Non tumulum curo, ſepelit natura relictos:

neque per ſeipſum leuamen afferat, magiſque quem-

quemadmodum Augustinus ait, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, viuorum solatia sint quam subsidia mortuorum: tamen plerisque bonorum operum & orationum subsidia aut necessaria non esse, aut minimè profutura, nec dixit Augustinus, nec prorsus dicere fas est. *Libro 1. de ciuit. Dei, cap. 12.*

Nec de vijs duabus, nec de Latrone obesse nobis argumentum. CAP. IIII.

TEstatur (inquit) *& promissio baptismi duas tantum esse vias morituris propositas, vel vitæ, vel interitus; vbi inquit Christus; Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Nemo est, Lossi, qui dubitet duas tantum esse vias; vnam vitæ, alteram interitus. Sed nescis in via quoque bona sordes contrahi, & pulueris aspergine pedes maculari? Nisi hoc ita esset, non diceret Christus Dominus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. *Ioan. 13.* Non Iacobus Apostolus; In multis offendimus omnes. *Epist. sua cap. 3.* Ideoque licet quotidiano Dei munere (inquit Sanctus Leo) à diuersis contaminationibus emundemur, inhærent tamen incautis animis plerunque maculæ crassiores, quas oportet diligentiori cura ablui & impendio maiore deleri. *Serm. 3. de ieiunio 7. mensis.* Quod si quispiam hic per incuriam pedes non lauerit, nónne priusquã eo recipiatur quo tendebat salutis iter ingressus, perpurgari debebit? Qui ergo post mortem ad infernas purgatorij

 sedes

sedes demittũtur, hi sunt in via vitæ, non interitus. Ex ijs enim sunt qui crediderũt & baptizati sunt. Sed propter contractas vitæ maculas quas hic non eluerant, purgari habent necesse, priusquam regnum intrent, quo nihil potest vel leuiter inquinatum intromitti.

Et Christus (inquis) *ad Latronem conuersum ait: Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est, vita tranquilla & beata, non in pœnis aut pauoribus.*

Vnum hoc nobis Latronis exemplum semper occinitur, quum animaduersum oportuerit vno quopiam exemplo generalem regulam nõ solere figi. Cur non etiam sceleratis omnibus spem faciunt in extremo vitæ pœnitendi, quo peccent securius; quia Latro ille pœnitentiam egit moriturus? Deindè, Latro iam recẽs Christo incorporabatur, supplente inuisibiliter Deo quod ex parte Baptismi necessitas illa deesse cogebat. Eo proindè priuilegio gaudere debuit, quo ij qui recentes à baptismo ex hac vita discedunt. Postremo, etsi fuisset post Baptisma relapsus, (quia inquit beatus August. vtrum non fuerit baptizatus, incertum est) magna tamen magnæ fidei & charitatis vis est, in qua pares non sunt omnes: Quo accedebat & supplicij magnitudo, & cum Christo in illo probro crucis, fidelis communicatio. Tot ergo discrimina cum Latronis illius vitam, quamuis breuem, à tot relapsorum Christianorum vita secernant; quid mirandum est si post ipsum quoque exitum distinguãtur? Ex huius igitur vnius Para-

Lib. 1. Retract. ca. 8.

Paradiſo, tanquam videlicet ſi vna hirundo faceret ver, malè omnium iuſtorum continuò poſt mortem Paradiſum colligis, cum ita concludis.

Non igitur animæ iuſtorum, hoc eſt, qui in hoc ſæculo ſide iuſtificati & accepti Deo fuerunt, & inchoarunt nouitatem vitæ, diſcedunt ad nouos cruciatus, præter eas afflictiones & miſerias, quibus in hac vita exercetur Eccleſia; ſed ad gaudium ſpirituale & pacem perpetuam, in qua dulciſſima Dei conſuetudine, perpetuò fruentur.

Homines etiam iuſtos in hac vita, propter ſua peccata flagellari, non tantum exerceri. CAP. V.

VAldè ſibi cauit, ne afflictionibus & miſerijs vitę huius, puniri diceret Eccleſiam ob peccata commiſſa; vſque adeò metuitur hoc, ne qua inde ratio probabilis affulgeat Purgatorij conſtruendi, ſi hic & iuſti homines à reatu damnationis æternæ liberi, temporalibus interim ſupplicijs flagellentur. Non ergo puniri, ſed exerceri dicere maluit; quia reuera punitio in præterita peccata reſpicit: exercitium ad virtutes quas habere cupiamus. Ideoque & ſupra dixerat, afflictionibus Eccleſiam in hac tantum vita ſubiectam eſſe, vt in illis agnoſcat reliquias peccatorum hærentes in carne corrupta, & inuitetur ad pœnitentiam agendam in hac vita. At longè aliter ſcriptura diuina ſonat. Si (in-

Psalm 88. quit) filij eius dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint; viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea.
Psa'm 98. Et alio in loco; Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos; in columna nubis loquebatur ad eos: Cuſtodiebant teſtimonia eius, & pręceptum quod dedit illis. Domine Deus noſter tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuẽtiones eorũ. Quid Petrus? Tem-
1. Petri 4. pus eſt (inquit) vt iudiciũ incipiat à domo Dei: Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, propterea quod nec illius peccatis diuinæ iuſtitiæ parcet ſeueritas, impius & peccator vbi parebunt? Nec ſolum in Veteri teſtamento ſcri-
Prouerb. 3. ptum eſt: Quem diligit Deus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit: ſed etiã
Apocal. 3. in nouo; Ego quem amo, arguo & caſtigo; Et,
1. Cor. 11. Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Eſt & apud Beatum Auguſtinum dignus omni obſeruatione locus de cauſſis correptionum, propter quas & boni & mali pariter flagellantur. Quid (in-
Libro 1. de Ciuit. ca. 9 quit) igitur in illa rerum vaſtitate Chriſtiani paſſi ſunt, quod eis non magis fideliter iſta conſiderãtibus ad profectum valeret? Primo quod ipſa peccata quibus Deus indignatus impleuit

uit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamuis longè absint à facinorosis, flagitiosis atque impijs; tamen non vsque adeò se à delictis deputant alienos, vt nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent dignos. Excepto enim quod vnusquisque, quamlibet laudabiliter viuens, cedit in quibusdam carnali concupiscentiæ, etsi non ad facinorum immanitatem & gurgitem flagitiorum, atque impietatis abominationem; ad aliqua tamen peccata vel rara, vel tantò crebriora, quantò minora. Hoc ergo excepto, quis tandem facilè reperitur, qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam, luxuriam & auaritiam, atq; execrabiles iniquitates & impietates, Deus sicut minando prædixit conterit terras, sic habeat, vt habendi sunt; sic cum eis viuat, vt cum talibus viuendum est? Plerunque enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis & corripiendis malè dissimulatur: vel cum laboris piget; vel cum os eorum, coram verecundamur offendere; vel cum eorum inimicitias deuitamus, ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus; siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas: ita vt (quamuis bonis vita malorum displiceat, & ideò cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur; tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcũt, dum eos in suis, licet leuibus & venialibus metuunt)

iure cum eis temporaliter flagellentur, quamuis in æternum minimè puniantur. Iure istam vitam quando diuinitus affligũtur cum eis amaram sentiunt, cuius amando dulcedinem peccantibus eis amari esse noluerunt. Hactenus D. Augustinus. In illis igitur scripturæ locis, & his Augustini verbis, audis, Lossi, virgam & flagella non ad virtutes exercendas expresſè id quidem, sed ad flagellanda, puniendaque peccata: audis non exercitium sed vindictam: non quod cum eiusmodi castigatoria disciplina, exercendi quoque coniuncta non fuerit vtilitas; sed quoniam pœna quæ in prȩterita peccata respiciat, in flagellis atque verberibus debeat inprimis cogitari. Nec verbi vis eadem in flagello, castigatione & vindicta, quæ in afflictione est. Nam & læsum chirurgus affligit sectione membrorum, quem non ob id punire aut flagellare seu castigare dicendus est: Recteque Diuus Augustinus flagelli proprietatem iuxta sacrarum literarum vsum attendens; Nulla (inquit) vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur nisi peccato. Est igitur vbi afflictio pœna nō sit, quoniam in ea inferenda, non culpæ, sed profectus aut alterius cuiuspiam rei ratio habeatur. Quo fit vt non omnia quæ accidêre sanctis mala, in peccati pœnam accidisse censenda sint. Ideoque loco supra dicto beatus Augustinus, posteaquam flagelli communis caussam communem, in peccatis vindicandis constituisset, subiunxit aliam quibusdam sanctis

Libro 2 de pec. mer. & remiss. c. 16

ſanctis excellentioribus peculiarem. Habent (inquit) aliam cauſſam boni, quare temporalibus affligantur malis: qualem habuit Iob; vt ſibi ipſi humanus animus ſit probatus & cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat. Eſt etiam vbi afflictio pœna tantum ſit; vt in perditis; velut in Pharaone; vt in paruulis non modò recens natis, verumetiam regeneratis, quibus propter ætatem neque ad cauendum vitium, neque ad exercendam virtutem, ex afflictione prouenire poteſt vtilitas. Eſt denique vbi non modò pertineat ad pœnam ante actorum, verum etiam valeat ad cautionem futurorum, exercitationemque virtutū. Quod ille declarat in epiſtola ad Hebręos locus; Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Vtrumque igitur in hac caſtigatoria diſciplina cogitare debemus. Quia neque correptio eſt niſi ob præcedentē culpam; neq; exercitium, niſi ad nitorem & incremēta virtutum. *Lib. 1 de Ciuit. ca 9.* *Hebr. 12.*

Ad locum Pauli 1. Corint. 3. ineptum eſſe de igne pœnitentiæ commentarium.

CAPVT VI.

L*Ocus autem Pauli* (inquit) *quem citat Alcuinus, ſecutus in hoc ſuperiorum errorem, ad confirmationem Purgatorij 1. Corint. 3. Vniuſquiuſque opus quale ſit ignis declarabit. Item; Sal-*

Saluabitur, sic tamen quasi per ignem; intelligendus est de pœnitentia & afflictionibus huius vitæ. Nam ignis sæpè afflictiones significat.

Vide hic varietatem eorum qui veritatem refugiunt. Alius ignem Spiritus sancti, alius pudoris iusti aut censuræ diuinæ; alius pœnitentiæ; alius afflictionum comminiscitur. Hic vtrumque, hoc est, pœnitentiam cum afflictione coniunxit; cùm tamen ea differant longo discrimine. Nam & pœnitentia sine afflictione exteriore agitur, & afflictio sæpè grauis sine pœnitentia sustinetur. Alius ergo pœnitentiæ; alius afflictionum ignis sit oportet. Cumque Paulus vnius duntaxat ignis meminerit, hic pro vno, duo nobis ignium genera repentè conflauit. Ac de afflictionis igne & eius quidem quæ in hac mortali vita discruciat, non posse intelligi vniuersalem omnium eorum qui superædificant probationem, declarationemque operis cuiusq; superædificati (de qua perspicuum est à Paulo haberi sermonem) supra satis, vt reor, ostendimus, cum aduersus Aretium ageremus. Pœnitentiæ verò qua subindè homines afficiuntur, ignem, si quis ad tantæ manifestationis lucem sufficere arbitretur, qualescunque certè oculos habeat in carne, nullos in mente habere se demonstrat. Primum, quia de suis erratis innumeri sunt qui nulla tangantur pœnitudine. Deindè, reperias etiam quos vera dixisse atque docuisse pœniteat. Postremò, qui non frustra lætantur conscientia prædicatæ & illustratæ

apud

apud homines veritatis, quónam modo ad hos pœnitētiæ ignis pertineat? Primorum ergo doctrinam qualis sit, non probat ignis pœnitentię, quam non agunt; sed tegit potius & obumbrat constantiæ falsa species, quæ apud multos efficit vt error pro veritate habeatur. Secundi verò ordinis hominum, multò minus ipso igne pœnitentiæ doctrina patescit; quia pœnitudo quæ de veritate suscipitur, non ignis est illuminans, sed tenebricosi potius fumi caligo, veri conspectum quantum in ipsa est, intuentium oculis adimens. Postremi quoque, quoniam bona conscientia pœnitentiam non admittit, per hunc ignem probari non possunt, neque qualis eorum doctrina fuerit, pœnitendo prorsus ostenditur. Atqui Paulus ait: Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit; Et, dies Domini declarabit qualis sit cuiusque structura. Porrò cum dicat ętiam Apostolus, ab igne detrimentum accepturos eos esse, qui ligna, fœnum & stipulam superædificauerint, num intelligi possit ignem pœnitentiæ cuiquam detrimento futurum? Vt enim statuamus per ignem pœnitentiæ, ea quæ malè superædificata sint exuri, tamen ei qui superædificauit non affert ignis ille, temporale semper detrimentum. Afflictio quidem ipsa damnosa est, non ita pœnitentia quæ de falsa doctrina suscipitur. Sed expositiones scripturarum falsæ inutiles & erroneæ (inquit Lossius) exurentur igne, hoc est, non permanebunt in ecclesia, sed abolentur

tur & reijciuntur. Quonam ergo (inquam) id fit igne? pœnitẽtiæ, an afflictionis? Doctrinam tu quidem, Loſsi, quæ de Purgatorio eſt apud Alcuinum, inter hæc ædificia quæ exurentur, collocaſti. Dic ergo de tuis ignibus, illam doctrinam in Alcuino vter exuſſerit in hac vita? Num afflictio hãc illi extorſit? num de ea pœnitentiam egit? Non eſt (inquis) neceſſe id in vnoquoque doctore fieri; ſed ſufficit ſi tandem erroneæ cõmentationes eijciantur ex Eccleſia. Atqui Paulus diſertis verbis pronũciat; Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Ac ne hoc ad doctrinæ probationem referas non perſonæ, ſubiunxit eum qui ſuperædificauerit ligna, fœnum, ſtipulam, ſaluum fore; ſic tamen quaſi per ignẽ. Vt igitur omnis ille cuius opus in igne manſerit, hoc eſt, qui ſuperædificarit aurũ, argentũ & lapides pretioſos, mercedẽ accipiet: ſic omnis cuius eodem tempore ſuperædificatio, ligno & fœno cõſtabit & ſtipula, ſaluus erit, ſic quaſi per ignem. Quæ ſi huius vitæ non ſunt (vti non eſſe quiuis bona mente præditus intelligit) fruſtraque vel in Alcuino completa, vel alio quolibet doctore hac in vita complẽda demonſtrare ſtudueris, ad illud tibi poſt hanc vitam Domini iudicium redeundum eſt, vbi & Alcuini & noſtra veſtraque omnium doctrina probabitur igni, palamq; fiet vóſne melius doctrinam de Purgatorio repudiaueritis, quam nos amplexi ſimus. Dominus enim (inquit
Cap. vlt. Iſaias) in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ

eius

eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis; quia in igne Dominus dijudicabit. Quem Prophetę locum, ad ignem purgationis in extremo iudicio futuræ, Diuus Ambrosius retulit: Augustinus quoque, totaq; vetustas tenuit Dominum igne præcedente venturum. Quanquam non satis etiam forsitan in eo tibi cōstes, quod cum doctrinam hanc de Purgatorio clarissimis scripturæ testimonijs repugnare statueris, vestroque omnium iudicio perniciosa & hæretica isthæc doctrina sit, quæ ipsum dominicæ satisfactionis fundamentum euertat; tu tamen eam super fundamento stare & superædificari, atq; ad ligna, fœnum & stipulā pertinere significes.

Serm. 3 in Psal. 118. Lib. 1 q. euangel. q. 20.

Malè probari vitiosum fuisse Iudæ Machabæi factum, quod Sacrificia legis nihil prodessent coram Deo, sed tantum coram Ecclesia. CAP. VII.

SEd omisso eo, quid est Lossi cur exemplum quod ex Machabæis citatur de oblationibus pro mortuis, vitiosum erroneumque sit? *Quia nimirum Sacrificia Leuitica, quæ figuræ fuerunt Christi sacrificij, non delebant peccata coram Deo, sed tantum coram Ecclesia.*

Hoc ergo tuum est argumentum. Sacrificia temporis illius non valebant ad remissionem peccatorum obtinendam à Deo; ergo mortuis apud Deum nihil ea prodesse potuit Machabæorum

bæorum oblatio. Cuius si verum est antecedens, cur toties legitur; Offeret qui peccauit, hoc aut illud; orabitque pro eo sacerdos, & propitius erit ei Dominus? quid est quod Propheta Daniel, inter alienigenas positus, cum offerre per captiuitatem sacrificia iuxta legem non posset, exaudiri poscat in corde contrito, sicut antea in holocaustis & victimis legalibus? Quo pertinet eiusdem prophetę illa deploratio; Non est in tempore hoc princeps & dux & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam. Solámne propheta coram hominibus misericordiam expetebat? aut cor contritum non illi prodesse potuit ad obtinendam veniam coram Deo, sed tantummodo coram Ecclesia? Quanquam igitur illa sacrificia nihil per seipsa valerēt ad veram peccati coram Deo expiationem; tamen in his operabatur fides vtentium, perque fidē efficax erat in illis Christi mediatoris sanguis, qui, quemadmodum ait sanctus Leo, tam potens in suis significationibus fuit, vt non minus per eum acceperint qui illum credidêre promissum, quam qui donatum susceperunt. Cuius Pontificis & illa sententia est. Patriarchæ & Prophetæ & Sacerdotes omnesque sancti, qui prioribus fuêre temporibus, eiusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati: & sine hac gratia nulla vnquam sunt instituta sacramenta, nulla celebrata myste-

Daniel. 3. *Ibidem.* *Serm. 3. de natiuitate.* *Serm. 2. de Pentecoste.*

myſteria; vt eadem ſemper fuerit virtus chariſmatum, quamuis non eadem fuerit menſura donorum. Diui quoque Auguſtini doctrina eſt conſimilis. Sacrificia (inquit) illa, ſi per ſeipſa attendantur, nullo pacto poſſunt mederi: ſi autem res ipſæ quarum hæc ſacramenta ſunt inquirantur, in ijs inueniri poterit purgatio peccatorum. Et rurſum, fructum viſibilium illius temporis ſacramentorum, ponit in ſanctificatione inuiſibili per Spiritum ſanctum. Quale autem eſt, vt hic obſiſtant nobis, qui aliàs, quod ad inuiſibilem gratiam attinet, nullum eſſe volunt inter ſacramenta teſtamenti veteris & noui diſcrimen? Si igitur illa quoque ſacramenta ad ſpiritualem animæ gratiam conducebant; cur ab eo reſilientes, modò ſtatuunt nullum ea fructum expiationis habuiſſe coram Deo, ſed duntaxat coram Eccleſia? Nimirum, quia illud in hæreticos aptiſſimè quadrat: Quod volumus ſanctum eſt.

Quæſt. 25. ſuper Numeros.

Quæſt. 84. ſuper Leuiticum.

Non rectè improbari Machabæi factum, eò quod nulla eſſent in Veteri lege pro mortuis inſtituta ſacrificia.

CAP. VIII.

ADdit Loſſius, nulla Sacrificia pro mortuis inſtituta fuiſſe in Veteri teſtamento; ex eoque colligit, errore id commiſſum à Machabæis, vt pro mortuis ſacrificare præſumerent. Quo loco reſpondeo, multo æquius eſſe

vt ex huius viri facto interpretemur sacrificiorum veterum oblationes, etiam ad mortuorum aliquam vtilitatem pertinuisse, quam vt propterea illum coarguamus, quod nullum ea de re speciale & expressum reperiamus institutum. Quis enim hoc sibi nisi impudenter arroget, vt nunc melius scire se dicat, quosnam ad vsus illa sacrificia solerent applicari, quã illi ipsi quibus erat familiaris illorum sacrificiorum ritus; quiq; non vt ex infima plebe rudi cõsuetudine ducebantur, verùm etiam præerant rebus eiusmodi, ad Dei cultum, salutemque hominum gerendis? An quenquam, tunc Machabæi factum offendit vt nouum? An sacerdotes, ad quos sacrificij caussa pecunia mittebatur Hierosolymam, Machabæo vt contra legem, contra patrium morem aliquid postulanti, restiterunt? Nemo tunc in tota illa Ecclesia potuit animaduertere, quid contra legem peteretur? Et vnde Machabæo res eiusmodi venisset in mentem, nisi neque obstare legem, cuius non erat ignarus, & hortari patrium morem, cuius obseruantissimus erat, perspexisset? Scilicet vir tantus, tanto, tamque religioso patre genitus, populi princeps, Sacerdos summus, pro lege Dei, pro patrijs ritibus tuendis vsque ad mortis contemptum fortis atque zelosus, hic quid faceret ignorans, tam grauiter contra diuinam legem impegit. Nonne id magis ratio postulabat, vt si quid esset in illius temporis lege positum obscurius, nos viri huius factum le-

gis interpretationem putaremus? Quanquam enim verum est quod Iureconsultus ait; veritatem rerum, gestorum erroribus non vitiari *Vlpianus.* (quod ipsum antea quoque protulit Aretius) & quod contra Aristocratem Demosthenes admonuit, non tam quid factum sit, quam quid rectè sit factum spectari oportere, *μὴ δὴ τοῦτο ἡμῖν ἐᾶτε λέγειν, ὡς γέγονεν ἀλλ' ἐςὶ δίκαιον γενέσθαι:* tamen cum rei veritatem clarè lex non expressit, sed aliqua generaliore sui parte cōclusit, tum & popularem consuetudinem, & publica insignium virorum facta generatim expressæ legi consentanea, recte legis interpretationem esse duxerimus. Vt enim verum est quod Iureconsultus ait, Rerum veritatem non vitiari, gestorum erroribus: ita & à Iureconsulto verissimè dicitur; Optimum legis interpretem, vsum & consuetudinem esse. An fortè nulla legis pars est, cui possit videri facta pro mortuis oblatio consonare? Cum ergo iuberetur Pōtifex pro se, *Leuit. 16.* proque domo sua offerre sacrificium; quid alienum, si in domo sua & mortuos intelligeret esse comprehensos? Siquidem vsu scripturæ ad alicuius (verbi gratia, Dauid, Iacob, Ioseph) domum etiam mortui pertinent. Rursum, cùm *Leuit. 16.* sacrificandum esset orandumque ex lege pro filijs Israël, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno; mirandum est si in filijs Israël computarentur & mortui, deque peccatis eorum vt in obliuionem venirent coram Deo, pia cura posteri tangerentur? Quod si contenderis, tam

R ij accu-

accuratè præſcriptum lege, quæ & quando quibuſque de cauſſis offerenda eſſent ſacrificia, vt intelligeretur extra ea quę expreſſa & pręſcripta forent nullum offerri Deo ſacrificium oportere, ideoque Machabæi ſacrificium improbandum eſſe, quod non ſit ex legitimis illis, quæ ſtatis temporibus celebrari debebant: fatebor ſanè ordinaria fuiſſe gentis illius ſacrificia permulta: & quotidiana, mane ac veſperi, & annua ſolenniaq; temporum diuerſorum: ſed præter hæc legitima, erat etiam ſpontaneis ſeu extraordinarijs neque lege præſcriptis oblationibus ad ſacrificia locus. Sic enim ſcriptum eſt in
cap. 29. Numeris: Hæc offeretis Domino in ſolennitatibus veſtris præter vota & oblationes ſpontaneas, in holocauſto, in ſacrificio, in libamine, & in hoſtijs pacificis. Quid igitur iſti, vt omnia quæ rectè & laudabiliter fiant, lege ſint mandata requirunt; cum & ſpontanea ab ipſa lege commendetur oblatio? Iudas itaque Machabæus, legis diuinæ ſcientia probè inſtructus, quemadmodum id perſonæ dignitas poſtulabat, mortuorum in bello pio & iuſto curam gerens, ſpontanea oblatione miſit Hieroſolymam duodecim milia drachmas argenti, vt his comparata ſacrificia offerrêtur ibi pro peccatis mortuorum.

Sed hactenus ad Lucæ Loſſij argumenta.

Falsò

Falsò caussari Caluinum, quod Machabæi exemplo vtentes, in hac Purgatorij caussa, Sacrificia legalia tanquam nondum abolita, trahant ad nouum testamentum. CAP. IX.

VNdè etiam æstimari posse puto, quid de illa sit arrogantissima Caluini censura iudicandũ, quam in sua Institutione sic expressit. *Superstitione quidem & præpostero zelo non caruit hoc facinus. Sed plusquam fatui sunt, qui sacrificium legale ad nos vsque trahunt, quando aduentu Christi scimus cessare quæ in vsu tunc fuerant.* Quis hic non protinus videat quanta fatuitate nos fatui iudicemur? Non enim factum legale ad nos trahimus, sed facti sequimur rationem. Nam etsi Christus Dominus, aduentu suo legalia sacrificia dum impleuit aboleuit, sacrificandi tamen rationem non sustulit. Quare quemadmodum is qui colligeret nunc quoque agi Deo gratias oportere pro acceptis beneficijs, quia paschalis agnus à Iudæis in gratiarum actionem quotannis immolabatur, non ita carpi deberet vt diceretur ei quod sacrificium legis ad nos traheret, qui procul dubio nequaquam id faceret, sed illius sacrificij caussam sequeretur: (Reuera enim in magna etiam diuersitate factorum, eadem sæpe manet ratio faciendi:) ita nos quamuis ex Machabæi sacrificio pro defunctis oblato, colligamus nũc quoq; pro defunctis, pium esse preces fundere

Lib. 3. cap. 5. § 8.

& sacrificium, non illud muti pecoris, sed hoc Dominici corporis offerre, non per fatuitatem sacrificium legis ad nos trahimus, sed sacrificandi caussam prudenter attendentes, ex eadem suscipimus, quod pro tempore faciendum esse, diuinis edocti literis arbitramur.

Quibusdam Augustini locis quam abutantur hæretici. CAP. X.

EST autem omnibus propè familiare, quod nec Aretius * antea præterijt, vt cōtra Purgatorium, illum detorqueant Augustini ex Enchiridio locū, vbi dicere fingatur, falli eos humana beneuolentia qui aliquos opinentur, non æterno quidem illo, sed diuturno tamen igne puniendos. Non enim hoc dicit Augustinus; sed illos humana quadam beneuolētia falli docet, qui homines sceleratos, qui tamen Catholici essent, in suis licet criminibus ad finem vsque vitæ perseuerarent, asserebant per ignem quendam saluos futuros. Quod à Catholicorum doctrina longè semper fuit alienum: Nam & contra hūc errorem scripsit Augustinus ipse librum, cui titulus est, De fide & operibus. Sed ipsa Diui Augustini verba ponam integrè, quæ illi mutilant ac deprauant. Creduntur (inquit) à quibusdam etiam ij qui nomen Christi non relinquunt, & eius lauacro in Ecclesia baptizātur, nec ab ea vllo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant,

* Præcedentis lib. cap. 27. ex Enchiridio.

Cap. 67.

mant, ſed in eis vſque ad huius vitæ vltimum diem pertinaciſſimè perſeuerent, ſalui futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque, diuturno non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici ſunt, humana quadã beneuolentia mihi falli videntur. Nam ſcriptura diuina aliud conſulta reſpondet. Librum autem (inquit) de hac quæſtione ſcripſi, cuius titulus eſt, De fide & operibus: vbi ſecundũ ſcripturas ſanctas, quantum Deo adiuuante potui, demonſtraui, eam fidem ſaluos facere, quam ſatis euidenter expreſſit Paulus Apoſtolus dicens: In Chriſto enim Ieſu neque circũciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides quæ (benè) per dilectionem operatur: Si autem malè & nõ benè operatur, proculdubio ſecundum Apoſtolum Iacobum, mortua eſt in ſemetipſa. Cõtra eoſdem agit Auguſtinus lib. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 17. quos miſericordes vocat, qui hominum Dei iudicio damnatorum, miſerias temporales, poſtque eas, æternam felicitatem fore putabant. Quæ ſentẽtia (inquit Auguſtinus) ſi propterea vera & bona quia miſericors eſt, tantò erit melior & verior quantò miſericordior fuerit. Extendatur ergo ac profundatur fons huius miſericordiæ, vſque ad damnatos angelos, ſaltem poſt multa atque prolixa quantumlibet ſæcula liberandos. Hæc Auguſtinus: quem proculdubio ſic loquẽtem, & ita ſuis inſtructum plumis, quas detrahunt, pro ſua hæreſi proferre

Galat. 5.

Cap. 2.

vererentur. At hic istorum mos est, vt vndecunque collectis quasi quibusdam verborum flosculis, suas ornent sententias: non quò magnifaciãt Veterum libros vnde illa decerpunt; sed partim vt fucum faciant imperitis, partim ne omni illorum patrocinio destituti esse videantur. Itaque & Caluinus postquã in hoc de oratione pro defunctis argumento, totius vetustatis consensum suæ pedibus superbiæ satis conculcasset, tandem addidit, nonnulla etiam Veterum testimonia proferre non difficile sibi fore, quæ totas illas pro mortuis preces, quæ tunc vsitatæ erant, manifestè euertunt. Nonne hic vides Augustinum obijci? non quia vel tanti sit Augustinus, cuius testimonium etiã contra illas preces quæ tunc fiebant, producatur; sed ne nihil omninò indè quoque videatur potuisse desumi, quod ad caussam pertineret. Quid autem illud est Augustini? Videlicet quia resurrectionem carnis & æternam gloriam expectari docet ab omnibus: requiem verò quæ post mortem sequitur, tunc vnumquemque accipere, si dignus est, cum moritur. Quasi verò in illa conditione quam interponit (Si dignus est) difficile sit intelligere, vt non modò requie aliquando tribuẽda dignus esse debeat, verumetiam dignus, quam statim post mortem accipiat? Idque sine controuersia certũ est, vnumquemque piorum simul ac moritur, requiem accipere, si dignus est qui eam post mortem statim accipiat. Quod ad illam quoque transferri

In Ioann. tracta 49.

sen-

ſententiam poteſt quæ profertur ex libello de Vanitate ſæculi, & alias ſi quæ interdum reperiantur conſimiles. Namque & illo eodem Tractatu, declarat Auguſtinus diuerſas animarum eſſe cuſtodias receptionesq́; diuerſas cum hinc emigrarint; multumq́; intereſſe quali cuſtodia quiſque excipiatur, poſtea ad Iudicem producendus. Quomodo videlicet in ſæculo (talem enim affert ſimilitudinem) receptiones in cuſtodia pro meritis cauſſarũ adhibentur; alios iubentur cuſtodire lictores humano & miti officio atque ciuili; alij traduntur optionibus; alij mittuntur in carcerem; & in ipſo carcere, non omnes, ſed pro meritis cauſſarum, in ima carceris contruduntur. Hæc Auguſtini omnia, cauſſam noſtram magis adiuuant, quàm infirmant. Quamuis & aliàs clarè doceat quoſdam recipi ſtatim in beatas illas cælorum ſedes, nullis poſt mortem interuenientibus pœnis purgatorijs; vt paruulos regeneratos in ipſa infantili ætate decedentes: alios verò multos, non mox eò migrare poſt mortem, ſed ante quibuſdam purgatorijs pœnis expiari. Tanta enim (inquit) in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam, Dei miſericordia eſt, vt etiam prima hominis ætas, id eſt, infantia, ſi Sacramenta Mediatoris acceperit, etiam ſi hanc in eis annis vitam finiat, tranſlata ſcilicet à poteſtate tenebrarum in regnum Chriſti, non ſolum pœnis non præparetur æternis, ſed ne vlla quidem poſt mortem purgatoria tormenta patiatur.

Cap 1 habetur Tomo 9 operũ Aug.

Lib. 21. de Ciuit. c. 16.

Sufficit enim sola spiritualis regeneratio, ne post mortẽ obsit quod carnalis generatio cum morte contraxit. Cum autem ventum fuerit ad ætatem quæ præceptum iam capit, & subdi potest legis imperio, suscipiendum est bellum contra vitia, & gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducat. Paucissimi autem sunt tantæ felicitatis, vt ab ipsa ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata committant; vel in flagitijs, vel in facinoribus, vel in nefarię cuiusquam impietatis errore, sed magna spiritus largitate opprimant, quicquid in eis posset carnali delectatione dominari. Plurimi verò præcepto legis accepto, cum prius victi fuerint præualentibus vitijs, & præuaricatores eius effecti, tunc ad gratiam confugiunt adiuuantem, qua fiant & amarius pœnitendo, & vehemẽtius pugnando, prius Deo subdita atque ita carni præposita mente victores. Ex hac ergo præcipuè multitudine, volens Augustinus intelligi veniri post mortem in purgatorias quasdam pœnas, subiungit: Quisquis ergo cupit euadere pœnas sempiternas, non solum baptizetur, verumetiã iustificetur in Christo, ac sic verè trãseat à diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumque iudicium. Quibus verbis planissimè declarat, ante illud extremum iudiciũ, purgatorias quorundam pœnas futuras: non autem post illud iudicium. Id quod contra Platonicos dictum est, qui omnes omninò futuræ quo-

quoque vitæ afflictiones, purgatorias esse censebant; cùm inter Christianos cõstet damnatorum & dæmonum pœnas, purgatorias non esse futuras. Intelligendus autem est dicere, ante illud extremum tremendumque iudicium, id est, antequam peractum & completum sit; ne præiudicare putentur ea verba, illi sententiæ Apostoli, qua declarat in ipso iudicio extremo, cum Dominus ad iudicium igne præcedente veniet, quosdam igne purgandos esse; quemadmodum Apostoli verba Catholici tractatores acceperunt.

Quod rursum idẽ Augustinus scribit, in requie esse animas piorum à corpore separatas; impiorum autem, pœnas luere: satis ex antecedentibus intelligi potest, ad quorum sit piorum animas referendum; eorum nimirum quos & initio capitis dixit, pro veritate fideliter & laudabiliter mori; & proximè ante illa quæ obijciuntur verba, dicit fortiter mortẽ tolerare, pro tenendo vel adipiscendo summo bono. Nam pijs licet omnibus communis sit quies in tranquilla securaq; cõscientia, propter quam etiam dormire dicuntur in somno pacis; tamen quin requie pleniore fruantur martyres, vt verè excellenterque pij homines continuò post mortem, dubium non est: quandoquidem & non percepto regenerationis lauacró, si pro Christi confessione moriuntur, tantum id his valeat ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit; Nisi

Lib. 13. de Ciuita. Dei cap. 8.

Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum; alia sententia istos fecit exceptos, vbi non minus generaliter dixit; Qui me cōfessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: Et alio loco; Qui perdiderit animā suam propter me, inueniet eam. Hinc & illud scriptum est; Preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?

Matth. 10.

Marci 8.

Psal. 115.

Fueritne quæstio de Purgatorio Diui Augustini ætate controuersa.

CAPVT XI.

Video tamen nonnullos hoc nomine sibi applaudere in hac controuersia, quod & Augustini ætate fuerit res ea controuersa, vt ne inter Catholicos quidem satis constiterit, quid esset ea de re sentiendum. Hoc autem vt aliquo probent argumento, proferunt Dulcitij quæstiones ad Augustinum, inter quas vna sit eiusmodi proposita verbis: Vtrum oblatio quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus, cùm euidenter nostris aut subleuemur actibus, aut grauemur: cùm siquidem legamus quod in inferno nemo possit iam confiteri. Ad quod multi dicunt, quod si aliquis beneficij in hoc locus possit esse post mortem, quanto magis sibi anima ferret ipsa refrigeria,

Quæst. 2. Tom. 4.

sua

ſua per ſe illic confitendo peccata,quam in eorum refrigerium ab alijs oblatio procuratur? Hæc igitur Dulcitij propoſitio,ſed Dulcitij filij non Epiſcopi,non Eccleſiæ paſtoris fuit. Nam Paulinus quidem ipſe Nolanus Epiſcopus, ad quē conſcriptis literis ſe rem hanc attigiſſe ſubiungit,nō id interrogauerat;ſed de eo cōſuluerat Auguſtinū; Vtrum ſepultura quæ fit in memorijs Martyrū, proſit aliquid ſpiritibus mortuorum. Deindè, cuius hoc circunſpectionis eſt,vt vnius priuata quæſtio plenioris doctrinæ capiendæ gratia propoſita, publicam putetur inter Catholicos controuerſiam demonſtrare? Quamuis enim multos ille dixerit hoc mouere, quónam modo huic alieno refrigerij beneficio locus eſſe queat poſt mortem, cùm multò magis id ſibi quiſque ſua confitendo peccata poſt mortem eſſet præſtiturus; tamen aliud eſt quid Eccleſiæ paſtores moueāt, quorùm eſt aliorum eſſe Doctores, aliud quid ſubditi & auditores. Multum etiam intereſt quid mota quapiam quæſtione admirationem teneat ignorantium & diſcere cupientium; & quid afferat pertinacia contradicentium. Denique, ſi publicas in Eccleſia turbas aduerſus tam vetuſtam tamque publicam & vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem orandi pro defunctis, res ea dediſſet, non fuiſſet profectò ſatis Auguſtino paucis illam attingere, cùm ſe rebus alijs pertractandis obtuliſſet occaſio, ſed quod alijs in rebus fecit, ex profeſſò ſcripſiſſet,iuſtoque opere tam manife-

nifestum Ecclesiæ vniuersæ morem defendisset: Qui mos, tam ipsum quoq; mouerat Paulinum Episcopum, vt eo ipso ad aliud quiddam suscipiendum propensius moueretur. Aiebat enim, vacare non posse, quod vniuersa pro defunctis Ecclesia supplicare consueuit: Vnde colligebat etiã illud homini prodesse post mortem, si fide suorum humando eius corpori talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita sanctorũ. Sed vt tunc ad tantę tamque illustris consuetudinis improbationem, publicus error quam plurimos abripuisset, nunquid placet vt simili de caussa tolęranda videri debeat hoc tempore controuersia de personarum diuinarũ distinctione? De filij, de Spiritus sancti diuinitate? de Christi vnica persona, aut eius vnius personę duplici natura? de rebus alijs iam quoq; publico & Protestantium & aliorum plerorumq; hæreticorum sensu damnatissimis? Imò verò si tunc ista res tantam altercantium conflictationem habuisset, quantam habuit vnquam vlla alia de Religione mota disputatio, quoniam tamen in eo tanto conflictu, vetus consuetudo & antiqua traditio valuisset, & vsque ad hanc ætatem victrix euasisset, quemadmodum vsque ad illam ætatem Augustini, ab ipsis Ecclesiæ primordijs in Ecclesia Christiana viguerat, multò profectò magis eam nunc, vt solida veritate subnixam, venerari & firmius tenere deberemus, minimeque eam controuersiam existimare feren-
dam

dam esse, quæ tanquam non satis discussa prius quæstione, aut nondum satis eliquata veritate, rursum sibi ex integro iudicandi sumeret libertatem.

Quod Purgatorij assertio magis illustret vim Dominicæ passionis. CAP. XII.

QVod autem clamitant detrahi sanguini Mediatoris, Purgatorij huius assertione; multum profectò sua opinione falluntur. Quis enim iuxta Dei verbum, & vberius & magnificentius illius meriti vim prædicet; quam is qui doceat eam non in hoc modò sæculo valere, verum etiam vsque ad ipsos inferos penetrare? Illi præfigunt Agni misericordiæ in hac terra limites: nos etiam pro defunctis fidelibus precamur; Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem. Illi profusissimam Mediatoris indulgentiam ad solos porrigi patiuntur mortalem hanc agentes vitam: nos eius pro defunctis implorantes gratiam, dicimus; Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum, tu eis Domine dona requiem & locum indulgentiæ: Illi exuberantes gratiæ riuulos, huius vitæ breuissimæ fine præcidunt: nos precamur per illius Agni meritum, vt quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commissa sunt, in altero quoque sæculo, venia misericordissimæ pietatis abstergat: Illi Christo dicunt; Miserere eius hic, quoniam ibi Iudex eris: nos cum Paulo dicimus; Det illi Deus

inue-

inuenire misericordiam, etiam in illa die. Breuiter, sic Agni prædicamus misericordiam, vt eam & in cōuersione peccatoris, & in iusti perseuerantia, & in ipso etiam quo coronandi sumus, iudicio celebremus: Non ignari scilicet
Psal. 102. scriptum esse; Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Quod autem hic obijciunt ab Hieronymo dici in Psal. 105. Hic misericordem esse Deum, ibi iudicem; facilè apparet locum inspicienti esse ridiculum, cum apertè profiteatur aduersus illos agere se, qui dicant in inferno esse pœnitentiam & resipiscentiam peccatorum.

Quemadmodum circa locum Matth. 12 de peccato in Spiritum sanctū non remittendo neque in hoc sæculo neque in futuro, se torserit Theodorus Beza in suis annotationibus. CAP. XIII.

MInimè molestum putauero si huc & illud reijciam, quod apud Theodorum Bezam non sine voluptate legere me contigit, de loco Matthæi 12. quem ante tractauimus. Valdè enim cōducit ad perspiciendam loci firmitatem pro astruendo Purgatorio, si animaduerterimus tot interpretationū laboriosissimè quæsitarum cuniculis, quam frustra illi conentur elabi. *Notum est* (inquit Beza) *cuiuis Christiano, duplicis vitæ siue duplicis sæculi mētionem fieri in sacris literis. Quorum vnum ab eo die incipit*

incipit quo nascimur, & huius vitæ spatio terminatur: alterum verò ab eo die quo morimur initiũ capit, estq́ infinitum. Cæterum quia peccatorum remissio quam quispiam in ipso mortis articulo consequitur, propriè respicit futurum sæculum, ideo, opinor, dixit Christus fore, vt blasphemia in Spiritum sanctum, neque in hac vita constitutis, neque etiam morientibus, id est, nunquam remittatur: quum alioqui multa in hac vita remittantur, & rursus multorum absolutio in extremum vitæ momentum differatur. Hæc Beza.

Qui cùm dissimulare non posset aliquam dari significationem remittendorum peccatorum in futuro sæculo; idq́; nobis ingenuè concederet, laborat in eo vt ostendat vbi & quando illa præstetur futuri sæculi remissio. *Nempe* (inquit) *in morte, aut in extremo vitæ momento, seu ipso mortis articulo.* Atqui non paululum ista differunt, neque nihil interest quid horum exprimatur. Nam si dixerit [In futuro sæculo, id est, in extremo vitæ momento] ostendere debebit quónam modo extremum vitæ momentum non huius sæculi sit. Tota quippe hominis vita, vsque ad ipsum mortis punctum, sæculi huius est non futuri. Extremum autem vitæ, proculdubio ad aliquam pertinet vitæ partem; cùm nequeat idem esse extremum vitæ & mortis principium, nisi mortem velimus in eodem cum vita coniungere. Hoc igitur absurdi continet ista interpretatio, quod dum accuratè nititur sæcula distinguere, tamen ea con-

fundere cõuincitur, sæculum futurum eo puncto temporis accipiens, quo adhuc sæculum est præsens, propter vitæ huius mortalis vel extremam partem. Quod si intelligit extremum vitæ punctum, quo iam ipsa vita extincta est, vt ipsum sit mortis momentum quo verè dixeris iam non viuere hominem sed mortuum esse; Agnosco sanè hic futurum sæculum, sed agnoscat ille quoque vicissim oportet, remissionem quæ post hanc vitam fiat, & animæ seiunctæ à corpore iudicium hac misericordia temperatum, vt aliqua detur ei remissio peccatorum. Quod si dederit, fateri cogetur hominem quamuis iustum & mortis æternæ reatu absolutum, à quibusdam adhuc quæ restent peccatorum vinculis absoluendum mox à morte; aut certè & ipsum damnationis æternæ vinculum, post huius terminum vitæ resolui; animamque non iustificatam in hoc sæculo, in altero demum iustificari. Dic ergo, Beza, clarè, quodnam istud est sæculum futurum? quando (ais) quisque moritur: Ergóne (inquam) moritur homo corporis etiam morte in sæculo futuro? Quin igitur & morientis lectulum ad futurum sæculum eadem opera transferimus? Quod si ipsum mori, huius sæculi est non futuri, profectò non rectè dixeris, In futuro sæculo, id est, cùm moritur. Dic ergo rursum, quid intelligi velis per hoc ipsum [cum quisque moritur, aut ipsum mortis momentum?] An tempus id quo anima iam est auulsa à corpore? sed id

id tempus te minimè iuuat, quemadmodum ex antedictis intelligi potest. An vitæ pars extrema proximè ante ipsum mortis punctum? sed illa multò magis huius sæculi est, quam ipsa vitæ extinctio. Quoquo te vertas igitur, Beza, fatearis necesse est, vel in hoc sæculo fieri istam quam vis remissionem; aut verum esse quod docemus, remissionem aliquam fieri peccatorum circa animam à corpore separatam, prius tamen iustificatam cum adhuc hæreret in corpore mortis huius. Et quia nobis ipse, qua es subtilitate, quæstionem hanc ad temporis punctum reuocas, trium ego tibi punctorum optionem do: Vnius proximè ante extinctionem vitæ: Secundi, in ipsa extinctione: Tertij, post extinctionem, cum est anima iam exuta corpore, ad diuinum producta iudicium. Duo priora si eligis, damnes necesse est interpretationem tuam de futuro sæculo, cum sit vtrunque huius sæculi. Sin tertium amplecteris, in nostra, velis nolis, castra partesque trãseundum est. Quod si contenderis vnum idemque esse momentum, eius quod dicitur mori & mortuum esse; seu animam à corpore separari & separatam esse, illamque nobis disputationem refrices, quæ apud Augustinum lib. 13. de ciuit. Dei à cap. 10. per aliquot sequentia subtilissimè producitur, nos de eo nobis contendere non necesse esse putabimus: & si tria nolis tibi momenta dari, duo si voles dabimus; vnum proximè ante animæ discessum; alterum post

discessum: Quorum quidem momentorum priore adhuc viuitur, posteriore non viuitur: & illud quidem huius sæculi constat esse; istud verò sæculi futuri esse donabimus. Horum ergo alterū si deligis, quo plena fiat peccatorum remissio; tunc vel ea huius tantum sæculi est, vel futuri. Si hoc annueris, plenam cuique remissionem dari in ipsa vitæ extremitate, cum adhuc tamen viuitur, sed quomodo ab ijs qui animam agere dicuntur; ergo omnis remissio datur in hoc sæculo: Sin aliqua detur extincta iam vita; ea vel est in solutione reatus damnationis æternæ, vel temporariæ duntaxat pœnæ sita, vel in vtroque simul. Si coniunctim in vtroque; quoniam remitti negatis vnquā peccatum posse quin plenè simul quoad culpam & pœnam aboleatur; fatendum igitur erit quemquam iustificari post hanc vitam, qui cum viueret non fuerit iustificatus: quod quidem est absurditatis non ferendæ plenissimum. Sin remissionem culpæ in ipso quidem vitæ vel extremo tempore posueris, pœnæ verò remissionem extincta iam vita, id est, cum homo sic moritur vt eodem puncto mortuus sit, quēadmodum dicimus aërem eodem temporis puncto & illuminari & illuminatum esse, tunc saluum relinquitur nobis assertionis nostræ fundamentum, quo statuimus non plenam semper homini simul remissionem peccatorū contingere, sed remissa hic culpa, post hanc vitam pœnæ temporariæ obligationem resolui; & quæ hic

hic remiſſa non ſint peccata, tunc remitti. Veruntamen etſi maximè ſentiendum ſit, eodem temporis puncto hominem mori & mortuum eſſe, tamen negari non poteſt quin ipſum mori, ſiue animam à corpore diuelli, ad hoc ſæculum pertineat: Vt enim ingreſſus animę, ita & egreſſus, ſæculi huius eſt; ideóque ſi qua fieri ponatur eodem puncto remiſſio, ea profectò ſæculi huius erit, nec magis futurum ſæculum reſpicit, quàm quæ cuiuſque in baptiſmo longè ante mortem facta ſit. Sed audiamus quæ ſequũtur.

Præterea (inquit) *quamuis nulla peccata poſt mortem propriè remittantur; ſed vel in vita, vel in ipſa morte: tamen quia huius remiſſionis plenum fructum non percipient fideles niſi ab extremo illo die iudicij futuri, videtur quodammodo ipſa peccatorũ remiſſio in illum diem differri, ac viciſſim declaratio eorũ quæ hic non fuerint remiſſa.*

In his verbis tria illa licet animaduertere momenta, quorum prius optionem dedimus. In vita, in morte, poſt mortem: ſiue quemadmodum illa Diuus Auguſtinus expreſſit; vnum ante mortem; ſecundum in morte; tertiũ poſt mortem: quibus ſingulis tria iſta ſingula redduntur, viuens, moriens, mortuus: eaque vulgatior & promptior animorum conceptio eſt. Sed tamen aliam iam expoſitionem adiungit, ne forte in priore non ſatis firmiter, ſolideque conſiſteret: vt nimirum intelligatur in futuro ſæculo, id eſt, in extremo iudicio futura remiſſio, quia tunc plenè fructus eius percipietur à *Lib. 13. de Ciuita. Dei cap. 11.*

fidelibus. Verum hæc quoque improuidentiæ puerilis euasio est. Primum, quia tunc dicendum erit, omne peccatum remitti in futuro sæculo, & ipsam quoque iustificationem ac regenerationem fidelium, in futuro sæculo fieri; propterea quod eius fructum plenè fideles non percipient, nisi in extremo illo iudicij die, cùm resurgẽt ad beatam immortalitatem. Nec consistet iam illa distinctio significata Euangelij verbis, quædam peccata remitti in hoc sæculo, quædam in futuro; alia neque in hoc sæculo, neque in futuro. Deinde quid alienius, vel à communi sensu, quàm vt intelligatur remissio peccatorũ fieri, in ipso beato illo regno, quo nemini patere potest ingressus, nisi remissis prius peccatis? Atqui in eo demum regno, plenus accipitur remissionis fructus. Rursum, si propterea tunc fiet peccatorum remissio, quia eius ibi percipietur plenus fructus; licebit pari ratione futurum dicere, vt & tum diabolo resistatur & peccato, atq; aduersus tentationes carnis adhuc spiritus cuiusque luctetur: quoniam ibi percipietur huius quoq; pugnæ fructus. Quod si absurdè, nec sine proximo meritæ irrisionis periculo, dixerimus certamen ad tempus differri coronæ; & agriculturam ad tempus messis; & præparatoria rudimenta ad tempus perfectionis atque splendoris; absurdum & hoc erit, peccatorum remissionem ad tempus percipiendi ex ea fructus distulisse. Est enim ea prę-uia quædam præparatio atque purgatio, quam idcir-

idcirco priorem cogitari oporteat beati illius regni consequutione. Cuius etiam erat prudentiæ dicere; Non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quando palam sit plenum remissionis fructum à nemine percipi in hoc sæculo? Hoc igitur tantummodo dici oportuerat; Qui peccauerit in filium hominis, remittetur ei in futuro sæculo, quia poterit ad beati illius regni possessionem peruenire: sed qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei in futuro sæculo; quia damnabitur, regnoque illo beato excidet. Vt nimirum remitti peccatum in futuro sæculo, sit beatum fieri & à Domino coronari: non remitti verò, sempiternis addici tormentis. Verùm multò aliter Christus Dominus, cuius in verba nihil otiosum, nihil superfluum cadere potest; Non remittetur (inquit) neque in hoc sæculo, neque in futuro. Nec remitti peccatum, est donari præmium, sed per condonationem non exigi supplicium: peccato enim pœna debetur; iustitiæ præmium redditur. Et quia indulgentia quæ pœnam relaxat, prior esse debet remuneratione iustitiæ, necesse est vt si ad extremum iudicium differatur ista remissio, aliquæ tunc iustis hominibus relaxentur pœnæ, priusquam iustitiæ suæ præmio munerentur. Quo loco si responderit, non se dixisse remissionem differri vsque ad extremum iudicium; sed vsque ad id tempus videri dilatam: nos ex aduerso referemus significasse Dominum remissionem tri-

buendam in altero illo ſæculo; nec quid videatur futurum, ſed quid futurum ſit indicaſſe. Deinde, *videtur* (inquit) *quodammodo ipſa peccatorum remiſſio, in illum diem differri*. Si videtur, veréne an falsò? ſi videtur, & non eſt; vt quid ad explicationem Dominicorum verborum talis adhibetur error? cur falſitatis tenebræ ad illuſtrationem veritatis inferuntur? Sin ita vt ſe res habet, videatur; differtur ergo quodammodo vſque ad extremum iudicium, omnis omnino remiſſio peccatorũ: vnde colligo ſic quoque differri fatendum eſſe, & fidem & cordis conuerſionem, & quicquid hic rectè geritur; quia nec fidei nec iuſtitiæ fructus plenè vnquam niſi ab extremo illo iudicij die, capietur. Et hactenus quidem de præclaro illo Bezæ commentario.

In locum 1. ad Corinth. 3. quid Theodorus Beza notauerit contra Purgatorium. CAP. XIIII.

FAcilè apparet hic quoque quam laborent, cùm ad ſolius doctrinę ſuperædificationem referunt Pauli locum. Ait enim Beza, *aberrare à ſcopo, qui ad doctrinas verbo Dei vlla ex parte contrarias hanc Pauli ſimilitudinem accommodant: in quibus etiam numero* (inquit) *ciborum delectum, dierum & veſtium diſcrimina; reliquiarum venerationem, & cætera id genus.* Aberrauit ergo, Beza, à ſcopo tuus Caluinus, cuius in

in Institutione verba sunt. *Eos ecclesiæ Paulus Architectos notat, qui retento legitimo fundamento disparem materiam superstruunt, hoc est, qui non deflectentes à præcipuis & necessarijs fidei capitibus, in minoribus nec ita periculosis hallucinantur, commenta sua Dei verbo admiscentes. Tales inquam operis iacturam facere oportet, abolitis eorum commentis. Ipsi autem salui fiunt, sed quasi per ignem; hoc est: non quod eorum ignorantia & hallucinatio coram Domino sit probabilis; sed quia Spiritussancti gratia & virtute ab illa repurgantur. Proindè quicunque auream diuini verbi puritatem, isto purgatorij stercore infecerunt, operis iacturam facere necesse est.* Lib. 3.c.5.

Hæc Caluinus; Planè & apertè significans intelligere se hoc loco, etiam illas doctrinas, quę verbo Dei aliqua ex parte repugnent, modò non deflectant à præcipuis & necessarijs fidei capitibus. Quin & de hac ipsa Purgatorij doctrina, subiunxit exemplũ; Quod eo modo, nisi ineptè, contexi non potuit, si noluerit hanc de Purgatorio doctrinam, ad ea quæ superædificãtur ligna, fœnum, & stipulam pertinere. Cùm hoc ergo, Theodore, te committo: Tu illi dicito: Chare præceptor, quid tibi in mentem venit? vlláne doctrina verbo Dei repugnans poterit cum fundamento cohærere? An non eo duntaxat nomine reprehendit Corinthiorum doctores Apostolus, quod curiosis argutijs & humanæ potius quàm diuinæ sapientiæ dediti essent, non quia falsam doctrinam annuncia-

rent? Iam quid minus ferendum sit, quam exemplum poni doctrinæ de Purgatorio? Nónne paulò ante dixeras in Institutione tua, clamandum esse non modò vocis, sed gutturis ac laterum contentione, Purgatorium exitiale Sathanæ esse commentum, quod Christi crucem euacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit & euertit? Quid enim illis est Purgatorium nisi quæ post mortem à defunctorum animis pendatur pro peccatis satisfactio? Ea verò quo modo Christi satisfactionem illam vnicam non euertit? Hæc erit Theodore iustissima tibi cum præceptore tuo expostulatio, si verior est tuus commentarius quàm illius: quem tamen & Lossius & Benedictus Aretius ea in parte sequuti sunt. Sed in hac te cum tuis pugna non inuitus relinquam, id obiter admonens quam & laborent, & malè inter se consentiant, qui referunt Pauli locum ad superædificationem doctrinarum. Cur ergo non potius illum teneant sensum, qui superædificationem etiam ad priuatorum hominum vitam & actiones extendit? At subiungit Beza, *hos multò longius excurrere, qui ad priuatorum vitam & actiones hoc referant.* Non video cur excurrant, quamuis ampliore loci expositione delectentur, quæ non solum priuatim operantium, verum etiam publicè prædicantium labores compræhendat. Omnes enim superædificant pro suo quisque vitæ instituto, mercedem accepturi, aut

statim

ſtatim, aut interueniente purgatione, ſecundum laborem atque intentionem ſuam.

Deniq;, longiſſimè (ait) *atq; adeò in contrariam partem feruntur, qui hoc loco Purgatorium ſuum ignem extruunt; ſed benè habet, quod is ex ligno, fœno & ſtipula ſit extructus, vt nihil mirum ſit illum noſtra memoria Dei flamma rurſum accenſa, magna ex parte conflagraſſe.*

Quid, hoc rogo, Theodore, profuerit, ſi multorum in cordibus Purgatorium veſtræ hæreſis communi incendio ad id conflagrarit, vt inde cæcis & improuidis maior gehennæ flamma conſurgeret? Vnum ignem fruſtra nitimini extinguere, vt alium vobis grauiorem funeſtioremq; reddatis: Purgationem tollitis, vt veſtris in ſordibus pereatis. Sed benè habet, quod è cordibus multorum diſſipatum eſſe dicas: Non enim in re propterea eſſe deſijt, quia in cordibus veſtris perierit. Verborum veſtrorum flatibus tenue fidei lumen extinguere in ijs qui vos libenter audiunt, poteſtis: ſcripturas nobis adimere, quibus veſtra coarguatur perfidia, non poteſtis.

Sed præclaros (inquis) *iſtos architectos oportuerat ſuo ſaltem Gregorio aſſentiri. Is verò libro Dialogorum quarto, capite 39. quum aliquot ſcripturæ teſtimonia citaſſet. Ex quibus (inquit) ſententijs conſtat, quia qualis hinc quiſque egreditur, talis in iudicio præſentatur. Sed tamen de leuibus quibuſdam culpis, ante Iudicium purgatorius ignis cenſendus eſt: Nam cùm Paulus dicat*

cat Christum esse fundamentum, atque subiungat; Si quis superadificauerit, &c. quãuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi: tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum solicitè est: quia illum per ignem dixit posse saluari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, plumbum ædificat, id est, peccata maiora; sed lignum, fœnum, stipulam. Hæc (inquit) *Gregorius, & Papa, & Diuus, & Doctor, vt volunt, irrefragabilis.*

Facimus, Theodore, quod dicis fieri debuisse; Assentimur lubentes Gregorio, vt & Pontifici, & diuo, & doctori in Ecclesia Dei iure colendo. Nam esse purgatorium ignem credimus post hanc vitam, quemadmodum id ille citatis verbis pro indubitato se habere demonstrat. Non enim consequens est, vt rem pro incerta habuerit, si de loci vnius expositione dubitarit. Veruntamen ne id quidem vtrum accipiendus esset de igne futuræ purgationis Pauli locus, dubium reliquisse videbitur penitius introspicienti: sed hoc potius significasse, quod Apostolus dicit de probatione per ignem, intelligi posse fieri in hac vita, quod attinet ad ipsum probationis genus, & in quibusdã superædificantibus; non autem hic totum illud impleri quod ait, Vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit. Quod autem subiungit: Si quis de igne futuræ purgationis accipiat, &c. non est ambigentis de intellectu, sed cautionem præscribentis ne in eo cõtingat error, quo putetur etiam sceleratos

in eo

in eo iudicio per ignem posse saluos euadere. Cùm enim verisimile sit Diuum Gregorium cùm id diceret ad Augustini tractationes respexisse, quónam modo induxisset in animum vt existimaret generalem illam omnium superædificantium probationem in hoc mundo fieri, quod neque putauit Augustinus, neque etiam credi sine absurditatis nota possit? Nam quod fabulantur quadruplicem ab Augustino tradi loci eius explicationem, lib. 21. de ciuit. cap. 26. ex ea profectum inscitia est vel fraudulentia, qua pars expositionis, pro tota explicatione simplicioribus obtruditur. Quippè quod Apostolus dixit de hominum purgatione & probatione, varijs id quidem modis & temporibus opinatus est, etiam hac in vita, circa fideles fieri: at nunquam perfici seu generaliter compleri, nisi in extremo illo tremendoque iudicio.

Vid: libri prioris, cap. 15.

SECVNDI LIBRI FINIS.



TERTII LIBRI

PROOEMIVM.

VT ij qui munitas arces aut vrbes obsident, nihil patiuntur in vicinia consistere, vnde retardari aut frustrari queant oppugnantium conatus: ita Benedictus hic noster tanquam industrius scilicet ac circumspectus castrorum princeps, cum animaduertet è vicino Limbo, non mediocriter sua in Purgatorium tela frustrari, in id separatim incubuit, vt hanc quoque demoliretur inferorum mansionem; forsitan & Tartarum aggressurus aliquando, vt nec dæmonibus quidem ipsis apud inferos locus esse possit. Est enim nonnullorum, hac tempestate, illa cognita progressio, vt sublatis Limbo & Purgatorio, tandem nec Infernum damnatorum crederent esse vllum: Sic enim impius, cùm in profundum venerit, omnia contemnit.

Prouer. 18

DE LIMBO PATRVM, LIBER TERTIVS.

Quæ sit Catholicorum de Limbo sententia. CAPVT I.



AC prius quidem Aretius Catholicorum explicat de Limbo sententiam: Postea sic refellit, vt nullum omninò Limbũ fuisse demonstrare nitatur. *Limbum* (inquit) *vocãt inferni partem superiorem, in qua detenti sunt saluandi patres, quovsque debitum primi parentis solueretur per mortem Christi. Quem locum* κόλπον, *id est, sinum Abrahæ dici volunt à Christo, Luca 16. Et apud Hebræos* צְרוֹר *hoc est, Ligatorium vel conseruatorium esse. 1. Regum 25. Et erit anima Domini mei ligata* בִּצְרוֹר הַחַיִּים *in ligatorio viuentium. Quæ vt rectius intelligamus, sic accipite. Qui hãc doctrinam de Limbo patrum & Purgatorio defendunt, statuerunt duo loca seu receptacula animarum; vnum gloriæ; alterum miseriæ & pœnarum. Gloriæ locus est cælum ipsum, in quo sit vita æterna, & vera* πλουθυγίειᾳ *rerum omnium: sed ante Christi aduentum animabus nondum patuisse. Pœnarum locum distinxerunt in plura receptacula, vel domicilia ac mansiones: Nam pœnæ illæ aut sensum habent æternum*

pœna-

pœnarum; In quo loco soli sint damnati impij, quibus nulla sit spes liberationis. Hic locus propriè infernus dicitur, & infernus inferior; quia infimum sit domicilium totius inferni: Aut pœnæ sunt cum sensu coniunctæ, sed ad tempus solum. In hac mansione sunt ab illis constituti, qui post mortem, liberationem expectare possunt peccatorum; ideoq́; purgatorium ijs est attributum. Ac collocant purgatorium supra tartarũ illum damnatorum, tanquam in secunda mansione vel interstitio: Aut pœnæ illæ nullum habent coniunctum sensum, sed priuatio est solum melioris & perfecti boni, ideoq́; damni appellarunt; quia damnum tantum sit in mora: Estq́; conclaue hoc tertium, seu in tertia contignatione totius inferni; & Limbum appellârunt, in quo conclusi manserint Patres vsque ad Christi aduentum. Sed qui diligentius inspexerũt regiones illas, & infernum lustrarunt, dicunt Limbum hunc geminum esse; alium patrũ, de quo iam diximus, eumq́; euacuatũ Christi descensu; aliũ verò infantiũ, qui sine baptismo decedunt, qui indies magis magisq́; cõpleatur vsq; ad nouissimũ iudicium, quo sint resurrecturi etiam ætate perfecta, annorum circiter triginta trium; deinceps verò, vbi sint mansuri, ignorant. Ex his facilè animaduertitis, infernum tanquam integrum ædificium, distinctum esse in quatuor contignationes. Infima, in ipsis fundamentis & centro totius, damnatos sine spe retinet. Superior, quæ secunda dici potest, purgandos habet, & inde purgatorium; Et rectè in secunda contignatione, vt

ignis damnatorum ad hos penetrans, eosdem expurget. Tertia contignatio infantes innocentes recipit, Limbus infantum dicta. Quarta demum & suprema mansio, patrum fuit Limbus, iam vacuus, translatis patribus à Christo, in ipsum cælum & vitam æternam.

Hactenus Aretius, de Limbo cæterisque inferni mansionibus, scholasticam sentētiam explicauit; subindè tamen eam & ironiæ suæ felle tingens, & proprij sensus inspersione tanquam fermento deprauans. Nam vt diuinationem de triginta trium annorum ætate prætercam, infantes quidē ipsi qui sine baptismo ex hac vita decesserunt, quis dixit catholicus paulò instructior, nescire se vbi post resurrectionem mā̄suri sint; cùm inter omnes eruditos constet, illos in æterna apud inferos damnatione mansuros? Siue enim ignis sensu, sed leuissimo torquebū̄tur (quod videtur nonnullis) siue à facie Dei proiecti, sine tali cruciatu, soloque affecti tam funestæ priuationis damno iacebunt (quæ receptior apud Scholasticos authores opinio est) tamen & in damnatione, & in morte æterna cum diabolo & angelis eius futuros, nulli inter catholicos mediocriter instituto dubiū̄ esse potest: Iudiciū̄ enim (inquit Apostolus) ex vno in condemnationem: Et Ioannes cap. 20. suæ Apocalypsis; Infernus & mors missi sunt in stagnū̄ ignis; Hæc est mors secunda: Et qui non est inuētus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnū̄ ignis: Hoc erit omnium damnatorū̄ post resur-

Thomas in 3. parte q. 52. art. 7.

Roman. 5.

rectionem, ſicut ante quoque fuit extremum æternumque receptaculum, quamuis in eo pro meritis quique ſuis, pœnis afficientur diſparibus: & leuiſſima ſine dubio paruuli; quemadmodum etiam perſpicuis verbis ſcriptum reliquit Auguſtinus. Ideoque inter fidei regulas ponere non dubitauit Sanctus Fulgentius ſcribens de fide ad Petrum Diaconũ, id quod eiuſmodi expreſſit verbis: Qualitas malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium ſumit, In quo quiſquis viuere ita incipit, vt ante finiat vitã quam ab eius obligatione ſoluatur, ſi vnius diei vel vnius horæ ſpatio anima illa vixit in corpore, neceſſe eſt eam cum eodẽ corpore interminabilia gehẽnę ſuſtinere ſupplicia, vbi diabolus cum angelis ſuis in æternum arſurus eſt, qui & primus peccauit, & peccatum primis hominibus perſuaſit. Hæc D. Fulgentius. Quibus & illa ſunt apud Gregoriũ Magnum perſimilia: Nonnulli (inquit) prius à pręſenti luce ſubtrahuntur, quam ad proferenda bona maláue merita actiuę vitæ perueniant. Quos quia à culpa originis ſacramenta ſalutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt. Quibus vnum vulnus eſt corruptibiliter naſci, aliud carnaliter emori. Sed quia poſt mortem quoque æterna mors ſequitur, occulto eis iuſtoq; iudicio etiam ſine cauſſa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormẽta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccauerunt. Sic Diuus Gregorius

Cap. tertio.

Lib. 9. in Iob. c. 16.

de æterna damnatione non renatorum paruulorum. Quod autem dicit Ioannes, post extremum illud iudicium, mortē & infernum in stagnum ignis proijciendos, hoc opinor, significat: (quid enim melius? nam si quis dixerit nomine inferni diabolum, mortis vero peccatum designari, ostendat quonam modo de diabolo & morte possit intelligi quod proximè antecedit: Et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant.) Illud ergo potius significat vsque ad extremum quidem iudicium, nō mortem solum fuisse extra illud stagnum, quoniam hic corporis dissolutione grassabatur; sed & infernum sic extitisse, vt aliqua sui parte stagnum illud ignis perpetui non haberet. At post resurrectionem carnis, neque mortem alibi quam in illo tartaro fore, vbi erit mors secunda, (nulli enim amplius super terram, carne morientur) neque inferni vllam aliam fore partem siue statum alium, quam eorum qui in illo æterno stagno, sint diuinæ visionis perpetua priuatione mulctandi. Quicunque enim præordinati fuerant ad vitam æternam, qui ad tempus inferni claustris tenebantur, in cælos tandem reddita immortali & incorruptibili carne deferentur. Nunc interim sicut mors nondum est in solo illo stagno quam & hic iusti patiuntur, ita neq; infernus ad solum est stagnum ignis æterni relegatus, quoniam aliquos adhuc hominum spiritus complectitur, non addictos æternæ illi

Apoc. 20.

morti, sed suo tempore ad vitam beatam educendos; sicut & ante Christi aduentum sanctorum animos, qui hic in fide vixerant venturi mediatoris, complexus est: quo quidem locali situ, quáue dispositione mansionum corporea, haud satis exploratum, neque de eo nobis contendendum est: At quin cælesti adhuc domicilio priuarentur, sed in infernum aliquem locum demitterentur, donec eos inferni claustra refringens, Christus educeret, in Ecclesia Christi non est dubium. Verum quibus hoc tu machinis impetas videamus.

Quemadmodum in cælo apud Patrem, ita & apud inferos diuersas esse pro cuiusque meritis mansiones. CAP. II.

Animas piorum & impiorum in eodem domicilio statuunt; contignationibus postea distinguunt, sine scriptura, quasi de arca Noë disserentes. Quis enim illis monstrauit hanc dispositionem? aut vbi scriptura habet illam quadripartitam inferorum mansionem? Deinde, vocem Limbi scriptura quoque non habet. Et quod illi sinum Abrahæ eò trahunt, impertinens est & alienum à mente scripturæ, vt videbimus infra.

Tua hæc, Benedicte, in Limbum eiaculatio est, qua nobis absurditatem obijcis & temeritatem: Hanc quidem, quia nemo nobis quadripartitam istam inferorum mãsionem ostenderit: Illam verò, quod piorum & impiorum ani-

animas, in eodem domicilio ſtatuamus. Quod tamen telum tuum valde abs teipſo retuſum & debilitatum eſt. Quonam enim modo conſequens videri debet, vt animas piorum & impiorum ſtatuamus in eodem domicilio, qui dicamur abs te regionem inferorum in diuerſa domicilia diſtinguere, quorum alia piorum propria ſint; vnum, totius videlicet inferni domicilium infimum, receptaculum ſit damnatorum? Qui ergo, teipſo quoque teſte, animarum domicilia tam accuratè diſiungimus, non benè abſurditatis eius inſimulamur, tanquam qui piorum & impiorum animas eodem in domicilio ſtatuamus. Quod ſi te dicas, domicilij vocabulum pro tota inferorum regione communique loco poſuiſſe; quid abſurdi eſt, ſi ad tempus duntaxat, bonis malisque communis quædam poſt mortem miſeria eſt, quibus hic fuerat peccati cauſſa cõmunis? Nam ſi piorum & impiorum animabus nulla poteſt ad tempus eſſe communis miſeriæ conditio, cur hoc miſeriarum vallis cõmune domicilium? Cur vnus per mortem exitus pio & impio, ſacrificanti & ſacrificia conténenti? Si autem piorum animabus perpetuã cum impijs miſeriam faceremus, meritò cenſeremur abſurdi, nosque ipſos vehementius noſtra damnaret ſententia, quàm veſtra reprehendat oratio, propterea quod piorum animabus vitam æternam deberi pro ſuis meritis aſſeramus: Vos autem ſublata iuſtitiæ ratione, quæ pios remuneret, etiam hos iuſtè
 poſſe

posse in infimum inferni domicilium detrudi statuitis. Quánam ergo in parte maior absurditas est, nostráne, qui perpetuum miseriæ domicilium pijs dari contra iustitiam esse docemus; an vestra potius, qui pios pariter & impios communibus gehennæ meritis copulatis? Quod autem adiungitur nos inferorum domicilium contignationibus distinguere sine scriptura, quasi de arca Noë differentes, tale est, vt sic ipse quoque Christus irrideri potuerit, qui tanquam de arca Noë differens, mansiones esse
Ioann. 14. dixerit apud patrem suum multas. Quæ enim mansiones multæ? Nisi quia & supremæ quædam, & infimæ, & mediæ pro diuersitate meritorum? Multæ quippe mansiones (inquit Augustinus) diuersas meritorũ in vna vita æterna significant dignitates. Alia enim est gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum: stella enim à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Quod ipsum D. Hieronymus in arca Noë significatum accepit, cùm aduersus Iouinianum libro posteriore dissereret, vt nihil mirandum sit, si quisquam de hac in cælo diuersitate mansionum, tanquam de arca Noë disserat, in qua illius rei typus habeatur. Si autem in cælo diuersæ mansiones; ergo & apud inferos, vbi pro varietate meritorum, ita sunt diuersi pœnarum gradus statusque miseriæ distincti, quomodo in domo patris plura diuersaque præmia, pro multarum distantia & diuersitate virtutum. Nisi fortè vt paria merita bono-

bonorum, ita etiam tibi videbuntur æqualia esse peccata, meritaque iniquorum, vt nihil sit opus mansionum distinctione, vbi omnes pari pœna, propter æqualia peccata teneantur. A qua sententia si te erroris magnitudo deterret, fatearis Areti necesse est nobiscum, diuersa esse domicilia inferorum. Quam si distinctionem inter damnatos seu reprobos admiseris, nihil erit cur nos iure reprehendas, si mansionum differentiam in tota ipsa inferorum regione ponamus. In toto enim facimus, quod tu etiam in parte faciendum esse perspicis, si scripturarũ sanctarum doctrinæ acquiescis. Nam si parricidarum & ebriosorum non eadem in inferno mansio, propter maximam scelerum distãtiam, tu miraberis, si pueros qui sine baptismo ex hac vita sublati sunt, nullumque aliud quam originale peccatum secum detulerunt, proprio quoque ab ijs domicilio seiungamus, qui ad originale ipsum multas addiderunt propriæ actionis offensas? Id enim potissimum hac distinctione docemus, non debere parem esse illis miseriæ statum cum cæteris, qui sibi proprijs grauibusque delictis damnationem accersierunt.

At Limbi vocabulo offenderis, quia non sit in scriptura; Quasi nõ & vos teratis vocabula, quę nusquam in scriptura canonica expresse ponũtur. Vbi enim in illa reperias, Orci & Auerni vocabula, quibus tu ipse infernum damnatorum designari dicis à Latinis, nec refellis? Deindè cum rem ipsam ex scriptura tenuerimus,

non ſic Areti ſcrupuloſi ſumus, vt non eum quouis vocabulo deſignari patiamur, modò id ſubiectam rem non ineptè expreſſerit. Hoc ergo reſtat, apténe ſatis Limbi vocabulo deſignetur is apud inferos miſeriæ ſtatus, qui ſit pro ratione & menſura peccati leuiſſimus? Et ipſos quidem inferos interdum ſignificari legimus periphraſi regionis vmbræ mortis, ſeu terræ tenebroſæ; interdum nomine laci, cuius etiam inſinuetur profunditas, in quam Lucifer ipſe detractus ſit. Vbi ergo tanquam regio quædam tenebricoſa, vbi lacus, vbi profunditas quaſi putei cuiuſpiā præalti, aut immenſæ voraginis; mirandum eſt, ſi tanquam extremæ quædam oræ, quæ ab ipſa profunditate procul ſint, cogitentur? aut abſurdius Limbum dicimus propter extremitatem, quam ſinum ſcriptura dicit propter quietem?

De Sinu Abrahæ. CAP. III.

NEc verò eò trahimus ſinum Abrahæ, quaſi idem eſſe omnino ſinum Abrahæ & limbum exiſtimemus. Eſt enim Abrahæ ſinus, vbicunque poſt mortem ſecreto quodam beatæ quietis anima perfruitur. Sic Auguſtinus interpretatus eſt Abrahæ ſinum, vt eſſe diceret, neſcio cuius quietæ felicitatis, magnum abditumque ſecretum. Sicut & Ambroſius, Cùm ait Lazarum in Abrahæ gremio, quaſi in quodam ſinu quietis, & ſanctitatis locatū receſſu. Quorum veſtigijs inſiſtens Diuus Gregorius: Quid

Cap. 5. lib. 33. contra Fauſtū Manichaeum.

Lib. 8 in Lucam.

Quid (inquit) Abrahæ ſinus niſi ſecretam requiem ſignificat patrum? Neque enim hic (quãuis id aliquos velle video) ad illa littora curua reſpicitur, quę ad ſimilitudinem Sinus, quibuſdam quaſi brachijs amplectũtur mare; ſed planè ad humanum ſinum ſeu gremium, quo interdum quos habemus charos, ad quietem excipimus ac fouemus. Habebant igitur & illæ in limbo ſanctæ Patriarcharum animæ ſinum Abrahæ: quomodo & Lazarus, qui in ſinum Abrahæ per angelos dicitur eſſe deportatus, vbi ſolatio non mediocri afficeretur, non modò ab omni vitæ huius labore liber, verũetiam à cruciatu & tormentis inferorũ. Sed quamuis modò Limbus ille patrum non ſit, hoc eſt, talis aliquis qualis ille erat apud inferos, ſanctarum & plenè alioqui purgatarum animarum ſtatus, ſinus tamen Abrahæ nec modo eſſe deſijt. Quin plus etiam in eo quietis atque ſolatij poſt Chriſti aduentum eſſe cœpit, ex Dei clara contemplatione: quippe qui tunc apud inferos illis erat Abrahæ ſinus, nunc ijſdem & alijs ſanctorum ſpiritibus in cælo eſt; in quem vt recipiantur animæ defunctorum, Chriſti quoque Eccleſia (teſte Dionyſio Areopagita) deprecatur. In quo ſinu D. Auguſtinus gratulatur ſuum eſſe Nebridium: Quicquid enim illo ſignificatur (inquit) ſinu, in eo meus viuit Nebridius, & & iam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt ſapientiam pro auiditate ſua, ſine fine felix.

Hom. 19. in Euang.

Lib. 9. Confeſſ. cap. 3.

T v Sic

Sic & apud Seuerum Sulpitium est: Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur, Omnisque ante corporum resurrectionem purgata anima, húc in sinum deportatur; quemadmodum id Prudentius versu expressit in hymno defunctorú.

Sed dum resolubile corpus
Reuocas Deus, atque reformas,
Quá nam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, vbi est Eleazar:

Atq; id quidé rectè Prudétius. Nam reformato per gloriosam resurrectioné corpore, non iam abdita & secreta quies, sed erit electorú omniú manifesta, ipsisq; etiam reprobis conspicua felicitas. Ideoq; & illa distinxit Hilarius enarrans Psalm. 51. Extendit (inquit) sanctus Propheta, spes suas ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur mortis occasu, quum sciat sibi in Abrahæ sinibus, exemplo pauperis Lazari esse viuendum; sciat quoque gloriosæ resurrectionis demutatione coæternum se & conformem Deo esse mansurum. Quod si quis hic obijciat, Ipsa differentia Lazari & epulonis, qua ille dicitur esse deportatus in sinum Abrahæ, hic verò sepultus in inferno, significari, Lazarum non fuisse apud inferos, sed diuitem solum: Nos ei respondebimus illud primum; Non solum in græcis codicibus, verum etiam in latinis permultis secus haberi: vt nimirum hæc sit contextus illius distinctio, Mortuus autem est & diues, & sepultus est. In inferno autem eleuans

uans oculos ſuos, &c. Quomodo & Auguſtinus legit lib. 12. cap. 33. de Geneſi ad Literam; Et homilia 7. li. 50. homiliarum, alijsque interdum locis. Deinde, ne lectionem alteram, aut damnare vt vitioſam, aut non ſuſtinere poſſe, vt aduerſam, videamur; conſiderandum eſt, Diuitem epulonem non ſimpliciter in inferno collocatũ, ſed ſepultum dici, vt illic obrutum, & in ima detruſum planeque coopertũ ſupplicijs cogitemus. Sed neq; chaos illud magnum intelligi neceſſe eſt ſpacium ingens illud, quod eſt inter cælos & inferos interiectum, cum & in ipſa inferorum amplitudine, tanquam vaſta quadam regione, cõcipi poſſit hoc chaos, quod rectius hiatum ſeu voraginem dixerimus, Id enim græca dictio χάσμα ſignificat: Hac nimirum figura ſermonis, inſinuante nobis Abrahamo, (Id quod D. Ambroſius, hunc interpretatus locum, breuiſſimè dixit:) non poſſe merita poſt mortem immutari.

Apud inferos non ſolum gehennam ſeu Tartarum ſtatui debere ex ſcripturis oſtenditur. CAP. IIII.

S*Ed ne quidem*, inquis, *opus eſt illa diſpoſitione. Nam ſcriptura ſolum duo receptacula agnoſcit animarum; Vnum vitam æternam, cælos, paradiſum, ſinum Abrahæ; Alterum verò impiorum, gehẽnam, Tartarũ, inferos, & quicquid tale eſt: nec poteſt ex ſcriptura tertius monſtrari locus.*

In his verbis tuis, primum illud attendere de-

debueras, Vitam æternam, Paradiſum, Sinum Abrahæ, non eſſe receptaculi vocabula. Nam & cum in terris miniſtrant angeli, vita æterna fruuntur extra ipſum beatorum receptaculum, hoc eſt cælum: Et Latro, cui dictum eſt; Hodie mecum eris in paradiſo, ad inferos, vti & Chriſtus ipſe, deſcendit, vbi non erat propria beatitudinis ſedes. Denique ſinus Abrahæ non localis receptaculi, ſed quietis per tropum ſignificationem habet, vt & in cælo & apud inferos, & vbicunque voluerit Deus, eſſe poſſit. Quemadmodum nec receptaculum vllum deſignatū eſt apud Ioannem c.1. vbi ſcriptum eſt; Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrabit. Quod deindè adiungis, ſcripturam duo tantum receptacula noſſe, videlicet cælos & inferos, ſiue (quod idem eſſe vis) gehennam & Tartarum, id declarat te in ſcripturis non animaduertiſſe, aut certè intelligere noluiſſe, inferos patere latius, quam vt debeāt reſtringi ad gehēnam & tartarum. Id quod tamen Diuus Hieronymus animaduerſum his verbis annotauit, ſcribens in caput decimum tertium Oſææ ad illa prophetię verba: Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne: Inter mortem (inquit) & inferos hoc intereſt: Mors eſt qua anima ſeparatur à corpore, Infernus locus in quo animæ recludūtur, ſiue in refrigerio ſiue in pœnis, pro qualitate meritorum. Ac reuera quid in ſacris literis luculentius magiſque obuium? Cùm enim Chriſtus loquitur in Pſalmo;

Lucæ 23.

Non

Non derelinques animam meam in inferno, nunquid significat animam suam non esse in gehenna relinquendam? An fortè Christus & gehennā passus est, quia in infernum ierit? Cùm rursum dicitur homini, vt ante mortem suam operetur iustitiam, quoniam apud inferos non sit inuenire cibum, quo tu (inquit) properas; num significatum est, hominem iustum properare in gehennam & tartarū? Aut vbi scriptum est, Dominum mortificare & viuificare, deducere ad inferos & inde reducere; an declaratum est Deum ex tartaro & gehenna, vbi suppliciorum æternitas est, solere quenquam educere? Quid item pius rex cum vitæ suæ lugens breuitatem diceret: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi? adeóne perdita conscientia significatur fuisse, vt desperata salute, in gehennam se crederet esse detrudendum? Quid etiam Propheta Iob, cùm optantis voce precaretur: Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me? Tantúmne desipuit, vt se vellet in extrema sui proiectione protegi, hoc est in gehenna? Quod enim effugere conamini statuētes vocabulum שְׁאוֹל scheol, interdū pro sepulchro poni, Id cum nullo in loco scriptura requirat, tum in superioribus locis recipi non potest. Quoniam accuratè illa, distincta sunt, vt vnum ad corpus, alterum ad animam pertineret, vbi dictum est de Christo: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quo signi-

Psalm. 15. *Eccles. 9.* *1. Reg. 2.* *Isaiæ 38.* *Iob 14.* *Psalm. 15.*

ſignificatum eſt neque animam in inferno, neque corpus in ſepulchro ad putrefactionem relinquendum. Nam illud quidem Bezæ commentum impudentiſſimum, vt Infernus eo quoque loco ſepulchrum ſignificet, Anima verò pro cadauere, id eſt, vita pro morte ponatur, ſuam ſecum refutationem damnationemque euidenter trahit. Iuſto quoque generatim dicitur, quod ad inferos properet, vbi non ſit inuenire cibum; cum multi ante Chriſtum ſepulti non ſint iuſti, ſed vel igni conſumpti, vel deuorati à beſtijs, vel aliâs in tenues auras puluerémue redacti. Quid etiam attinebat dicere & docere, quod in ſepulchro non ſit inuenire cibum? An de corporis cibo loquebatur, quem ſe fortè nonnulli adhuc in ſepulchro reperturos & manducaturos per incredibilem ſtultitiam expectarint? Inferni quoque portas non te puto dicturum eſſe portas ſepulchri, quæ plerumq; nullæ ſunt; nec optaſſe prophetam, vt protegeretur in ſepulchro. Aliud quoque mortem eſſe per quam ſepulturæ corpus mandandum relinquitur, aliud infernum diligẽter annotauit Hieronymus in ſupradictũ ſcribẽs Oſæe caput. Quod enim aliud ſit mors (inquit) & aliud infernus, & Pſalmiſta demon-
Pſalm. 6. ſtrat dicens: Non eſt in morte qui memor ſit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? &
Pſalm. 54. in alio loco. Veniat mors ſuper illos & deſcendant in infernum viuentes. Fateris & ipſe cum de inferno ſcribis, non poſſe inferni vocabulum qui-

quibuſdam locis pro ſepulchro ſumi : Velut Deuteronomij 32. vbi Moyſes inquit in perſona Domini; Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, ſiue, vſq; ad infernum inferiorẽ, vt ipſe legis. Et Prouer. 9. Neſcit quod ibi ſint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius. Et 15. Semita vitæ ſurſum eſt ad erudiendum, vt declinet ab inferno qui infra eſt; ſiue, inferno nouiſſimo, vt legimus. Et Pſal. 86. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & liberaſti animam meam de inferno inferiori. Neque ergo locis ijs, quæ à nobis producta ſunt, neque his quæ abs te proferuntur, poteſt infernus pro ſepulchro intelligi. Vnde ergo alibi, pro ſepulchro poni diuinas, niſi quia ſi non eo cõfugias, metuas tibi à Limbo patrum, à quo propterea tibi tantopere cauendum exiſtimas, ne ſi ille eſſe conuincitur, inter cælum & tartarum, tertius aliquis locus in ſcriptura ſacra repertus ſit? Et tamẽ illiſ ipſis locis quę abs teipſo commemorata ſunt, non parua ſignificatio eſt eius, quod times. Cum enim infernus dicitur qui infra eſt, ſiue inferior atque profundior, cur abſurdum ſit ſuperiorem aliquem cogitari, ſi non loci ſitu, de quo non firmiſſima forſan opinio eſt, certè ipſo diſcrimine atque diſtantia ſtatus, ſicut fuerat differentia meritorum? Vnde & Petrus in epiſtola poſteriore, profundiores ac tetriores haſce partes, vocabulo Tartari deſignans, infernum inſinuat patêre latius; cùm ait Dæmones rudentibus *Cap. 2.*

ſeu

ſeu catenis inferni detractos, in tartarum traditos eſſe cruciandos; Non enim illic Infernus & Tartarus idem ſignificāt. Neque tamen aut ſepulchrum, aut aduerſa vitæ huius cogitari poſſunt, quæ annotas vocabulo inferni deſignari,
2.Reg 22. vbi dicitur; Funes inferni circundederunt me. Quo tamen loco ſi attendas, cur aduerſa vitæ huius, non quidem infernus, ſed funes inferni dicantur, poſſit & hoc adiumento eſſe tibi ad verum perſpiciendum. Nam dolores atque aduerſa vitæ huius, quibus Dauid conquerebatur ſe eſſe circumuallatum propter grauiſſimas, vt vis, perſecutiones quas à Saule patiebatūr, cur dicuntur inferni funes, niſi quia per eas tanquam funes conſtrictus implicitusque, pertractus fuiſſet ad inferos, niſi eum Dei protectio è mortis periculis eruiſſet? Ex his opinor ſimilibusque locis quæ fruſtra aliorſum detorquere conamini, intelligi poteſt, quàm illud falsò ſtatuatur, non agnoſcere ſcripturā aliud quam Cælum & Tartarum ſiue gehennam. Quamuis enim nihil aliud niſi ſuperos & inferos; tamen in ipſis inferis aliud quoddam præter gehennæ locum, agnoſcit domicilium temporaneum, in quo fuerint incluſi ſpiritus aliqui, donec eos Chriſtus educeret ad perfectam libertatem & lucem. Quam ſententiam, poſt Gregorium Magnum, eoq; vetuſtiores multò Patres, luculenter admodum explicatam Sanctus Bernardus reliquit ſermone quarto de omnibus ſanctis. Diuus quidem Ambroſius cap. 1.
lib. 4.

lib. 4. de fide ad Gratianum: Mosen (inquit) licet corpus eius non apparuit in terris, nusquam tamen in gloria cælesti legimus, nisi posteaquam Dominus Resurrectionis suæ pignore vincula soluit inferni, & piorum animas eleuauit. Theophylactus quoque in Matthæi caput 27. scribens, breuiter annotauit illam mortuorum resurrectionem, quæ mortuo in cruce Domino facta est, significasse eorum qui in inferno fuerint libertatem; propterea quod ante id tempus, & sanctorum animæ intra inferni penetralia conclusæ captiuæque tenerentur. Et quod scriptum est: Contriuit portas æreas, & *Psal. 106.* vectes ferreos confregit (quamuis id non patiatur Caluinus) eodem retulit tamẽ Eusebius, sub finem libri eius quem scripsit de euangelica demonstratione; multoque plures postea suis proferentur locis, quorum grauissima authoritate hæc de Limbo doctrina confirmetur. Sed quod eiusmodi loco tertio nihil opus fuerit, videamus nunc quibus rationibus tu patêre demonstres.

Diluitur argumentũ petitum ex vtriusque testamenti Sanctorum fide communi. CAPVT V.

PRimum (inquis) *Quod sancti in veteri testamento eadem fide in Christum, qua nos, sint iustificati. Quod si eadem fides est vtrosque iustificans, habuêre igitur eandem iustificationis gloriam: Gloria autem iustificationis est vita*

æterna. Quare mea quidem ſententia, pij ante Chriſtum defuncti, animabus ad cælos aſcendere corpore in terra quieſcente. Sic ille.

Tua hæc, Areti, prima ratio tum demum aliquem aduerſum nos locum habere potuiſſet, ſi iuſtificationis gloriam, hoc eſt, vitam æternam, ſanctis ijs qui ante Chriſti aduentum in iuſtitia deceſſerunt, noſtra aliquando detraxiſſet opinio. Sed iuſtificationis gloriam, plus etiam quam vos, illis tribuimus, quam & meritis eorũ fuiſſe iuſto Dei iudicio reddendam aſſeramus. Habes ergo quod tuum argumentum poſtulat, ſicut vnam fidem iuſtorum omnium vnamque ex fide iuſtitiam, ita etiam cõmunem quæ omnibus promiſſa ſit iuſtificationis gloriam, vitam æternam. Hic nempe diurnus eſt ille denarius, *Matth. 20.* quem paterfamilias vocatis in vineam propoſuit, perſeueranter operãtibus certiſſimè redditurus, quacunque tandem hora veniſſent. Sed vt illic murmurabant quidam, quod non plus accepiſſent priores, qui diei pondus æſtumque pertulerant, quam poſteriores, qui vna tantum hora laborârant: ita video quid tu quoque ſubmurmures, cur videlicet antiquorum iuſtorum dilata ſit mercedis retributio, vt non ante, quam his qui poſterius vocati ſint, redderetur. Nam & propterea dictum intelligi poſſe putat Auguſtinus, redditam operarijs eſſe mercedem, incipiendo à nouiſſimis vſque ad primos, quod ij qui poſterius venerũt in vineam, minus ab ipſa Dei contemplatione dilati ſint quam priores.

Id vi-

Id videre est in fine cap.24. lib.de spiritu & litera, eumque sensum Augustini Diuus Gregorius hom.19.super Euangelia sine cunctatione complexus est. Verum ob id, Areti, si murmur operariorum exaugeas, tibi iure paterfamilias respondere possit; Amice, ego nullam illis antiquioribus facio iniuriam; Nónne denarium accipiunt, de quo mecum conuenêre? Quod si aliquanto tardius quàm hi, quid tum postea, quando id quod differtur nō aufertur? An non licet mihi facere quod volo? An non sat magnum est, tantum mercedis vel serò accipere? Tale quiddam, Areti, responderi tibi poterit: quin addi etiam increpationē conueniet, quod oblitus tui, dicas statim illis oportuisse vitæ æternæ mercedem reddi, qui statuas merē gratuitam esse, nullisque parari meritis illius vitæ retributionem; Cur ergo differri non potuit, quod potuit & negari? Sed & de ipsa beata corporum resurrectione, vehementer redargueris, quam differri vsque ad sæculi finem constat, in qua tamen tantū inerit boni, tantumque felicitatis, vt propterea electi omnes, in illo communi supremoque iudicio audituri sint: Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Hoc ergo beatum regnum quod sanctis in fine reddetur, in quo demum erit vera πλούθυγιεια rerum omnium, differri certissimum est, donec fratrum numerus compleatur. Neque tamen, si audiendus es, differri debuit, sed statim post mortem Matth.25.

reddi iustis omnibus, ficuti post mortem continuò reddetur eis iustis, qui in fine sæculi iudice veniente morientur. *Quanam*, inquis, *hoc consequentia ratiocinationis astruitur?* Tua (inquam) ipsius, si attẽdere me libuerit, per tuæ rationis vestigia gradientem. Sancti in veteri testamẽto eadem fide in Christum qua nos, sunt iustificati. Quod si eadem fides est vtrosque iustificans, habuêre igitur (statim videlicet post mortem, hoc enim intelligi vis) eandem iustificationis gloriam. Gloria autem iustificationis, est resurrectio gloriosa, totiusque hominis beata & æterna vita. Quare tua quidem sententia, Areti, pij ante Christum defuncti, non anima solum in cælos ascendêre, sed ipsis quoque corporibus beata immortalitate donatis, translati sunt toti prorsus ad superos, vt totius hominis vita beata potirẽtur: Aut hoc tibi quod sic colligo concedendum est, aut rationis tuæ imbecillitas confitenda. Denique tibi Apostoli magis audienda doctrina est, quam tuis rationibus auscultãdum. Ille autem de antiquis iustis verba faciens: Et hi omnes (inquit) testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur, hoc est, ne prius donarentur vita beata, veteris testamenti sancti quam noui; sed tum demum illi perfici inciperent euecti ad cæleste domicilium, cum hoc noui testamenti electis donaretur. Sicut & non prius resurgent illi ad beatam corporum

Hebr. 11.

rum

rum immortalitatem, quam Apoſtoli cæteriq; noui teſtaméti participes. Niſi enim etiam (inquit Chryſoſtomus) nos illuc venerimus, tunc prædixit eis ſaluator non dare mercedem, videlicet immortalitatis. Sicut pater bonus amator filiorum, probis & genuinis filijs & opus perficientibus dicit, non ſe daturum comedere, niſi venerint etiam alij fratres. Quin & illud in eadem ad Hebræos epiſtola magis etiam huc facit quod ſcriptũ eſt, ſemel in anno ſolum Pontificem in ſecũdum tabernaculum introire ſolitum, eo ſignificaſſe Spiritũ ſanctum nondum propalatam ſeu manifeſtam eſſe viam Sanctorum, ſiue in Sancta; hoc eſt, cælum ipſum: quomodo paulò poſt interpretatur Apoſtolus, Quia nimirum (authore Chryſoſtomo, quem & Theophylactus & Oecumenius & Haimo & Anſelmus, alijque ſequũtur patres) tunc adhuc occluſum fuerit & inacceſſum cælũ, priuſquam Sacerdos noſter Chriſtus Dominus, oblato proprij ſanguinis ſacrificio, eo fuiſſet ingreſſus, ſuoque ingreſſu manifeſtaſſet iam reipſa, membris ſuis eodem patêre deinceps viã. Quemadmodum & ipſe ait ex ſua ſuorumque perſona: Notas mihi feciſti vias vitæ. Quia (inquit Ambr.) dum poſt mortem ab inferis redit ad ſuperos, cœpit reipſa notam habere viam vitæ, quæ antea habebatur ignota. Nemini igitur ante Chriſti aſcenſum iter in cælum patuit, ſed hanc ipſe, vt eſt Hebr. 10. initiauit Sanctorum viam: Aſcendit enim, quemadmodum ha-

Hom. 28. in epiſt. ad Hebræos.

Cap. 9.

Homil. 15 in epiſt ad Hebræos.

Pſal. 15. Serm. 74.

bet Michæas, cap. 2. pandens iter ante eos, qui
Nume. 35. sua morte, tanquam verè summus Sacerdos, exulibus liberum iam in patriam reditum effecerat.

Ostenditur imbecillitas argumenti quod ex eo fit, quia meritum Christi semper fuerit paternis oculis præsens.

CAPVT VI.

DEinde, inquis, *Cùm sit eadem nostra fides, quæ fuit piorum in veteri testamento, idem etiam meritum esse Christi vtrisque salutare fateri necessum est. Eadem autem fides, idem meritum apprehendere potuit. Hebræorum 13. Christus heri & hodie, & idem in sæcula. Itaque mors Christi quauis ætate eundem effectum præstitit. Non igitur opus est Limbo. Demum, mors filij Dei, expians primi parentis & vniuersæ posteritatis delictum, Deo patri semper præsens fuit & est. Nam temporum hæc interualla, æterna illa maiestas non sic metitur, vt aliud illi præsens sit, aliud præteritum, aliud demum futurum. Quo facit locus 2 Petri 3. Vnus dies apud Dominum est, vt mille anni, & mille anni vt dies vnus. Quod sumpsit ex Psalm. 89. Hinc Apostolus ad Ephes. 1. ait nos in Christo electos ante iacta fundamenta mundi, vt essemus sancti & irreprehensibiles. Ideoq; cùm Deo Patri mors Christi semper fuerit præsens, non fuit opus hoc carcere ad piorum animas concludendas.*

Hactenus ille.

Hoc

Hoc quoque eiusdem omnino farinæ est, cuius illud prius. Quis enim nescit meritum Christi tunc quoque fuisse salutare, eademque fide appræhendi potuisse? Et quid illo molimine fuit opus, vt mors Christi paternis oculis præsens semper fuisse probaretur? Verum si propterea consequi putes, eosdem omnes effectus habuisse promissum Christi meritum, quos produxit aut producet exhibitum, confunderis de vocatione gentium, de amplificatione ecclesiæ Christianæ per orbem terrarum, de copiosa illa spiritus effusione, propter quam scriptum est: Spiritus nondum erat datus, quia Iesus non erat glorificatus; De ipsa postremò resurrectione gloriosa, quæ si ad secundum Christi aduentum præstabitur, quamuis eam multò ante meruerit, quid alienum tibi videatur, si & priorem aduentum quidam sint salutares meriti eius effectus consecuti? Sic enim Christus Dominus antecedere voluit suum aduentum quædam gratiæ suæ munera, vt tamen aduentu ipso præcipuam munificentiam suæ benignitatis exhiberet. Ac tametsi in Christo electi simus ante iacta mundi fundamenta, vt essemus sancti & irrepræhensibiles, num ideo sancti & irrepræhensibiles fuimus, priusquam mundi fundamenta iacerentur? Sicut igitur mors Christi, ab æterno præsens Deo fuit, ad homines illius intuitu prædestinandos, & tamen neque mortis neque prædestinationis effectum sunt ab æterno consecuti; sic licet ante Ioann. 7.

aduentum Christi, Deo Patri mors eius fuerit præsens, vt eius intuitu suos electos vellet ad beatificũ Dei conspectum perducere: Non tamen id ante aduentum suum præstitit, sed hoc præsentiæ suæ reseruauit, quam decebat clarioribus diuinæ gratiæ muneribus, & effusione bonorum largiore atque vberiore decorari. Idcirco enim & pręsens, plurimos ad se conuertit, exaltatusq́; à terra, tum demum euidentissimè cœpit trahere omnia ad seipsum, qui vix paucos antea à perditorum massa segregabat. Deniq; si mors Christi semper oculis paternæ maiestatis præsens, plenè statim delictũ primi parentis, & vniuersæ posteritatis expiauit, cur adhuc electi ex primi illius parentis delicto moriuntur? Per vnum enim (inquit Apostolus) peccatum mors: Et; Sicut in vno omnes moriuntur, ita & in Christo, omnes (suo tempore) viuificabũtur. Quod si quia mors Christi semper fuerit Deo præsens, idcirco nullus esse debuit Limbi carcer ad piorum animas concludendas; nulla ergo etiam mors esse debuit, qua piorum corpora summa cum molestia, & tristi omninò separatione, à suis animis diuellerentur. Primi autem parentis delicto non mortem solum corporis relictam esse regeneratis renouatisq́ue spiritu Dei hominibus, verum etiam interclusum olim aditum in cælestem habitationem, clarissimè beatus Anselmus expressit, tractans locum posterioris ad Corinthios cap. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus*

Roman. 5.
1. Cor. 15.

mus

mus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cælis. Non dicit, habebimus (inquit Anselmus) quia videlicet protinus habetur illa domus ex quo ista dissoluitur. Prius autem quam Redemptor noster morte sua humani generis pœnam solueret, eos etiam qui cælestis patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt: Non vt pœna quasi peccatores plecteret, sed vt eos in locis remotioribus quiescentes (quia necdum intercessio Mediatoris aduenerat) ab ingressu regni reatus primæ culpæ prohiberet: Sic ille.

Respondetur ad argumentum petitum à Sacramentis veteris Testamenti.

CAPVT VII.

ADde etiam illud, inquis, *cum Apostolus ad Corinthios prioris cap. 10. & Coloss. 2. tanta diligentia doceat, veteres eadem habuisse Sacramenta quæ & nos, Quid ni etiam eundem habuerint vsum quoque? Tempus igitur Patres non impediuit, quo minus fruerentur virtute mortis Christi, quemadmodum & nos.*

Si te, Areti, mortis Christi meritum, perpetuo patri præsens, nihil in tua hac caussa adiuuit, multò minus sacramenta iuuabunt, præsertim quæ nihil aliud quam signa esse statuitis, aut sigilla quædam acceptæ per fidem iustificationis. Quæ si nec iustitiam vllo vnquam

tempore præstiterunt, nec iuxta conscientiam (quemadmodum beatus Apostolus docet cap. 9. epistolæ ad Hebræos) perfectum potuerunt facere seruientem; quonam modo mox à morte cõtemplationem beatificam diuinitatis præstitissent? Sint ergo sacramenta eadem populi vtriusque, neque de hoc tecum digladiemur hoc tempore: quamuis & Augustini & Catholicorum cæterorum non ignota tibi doctrina sit; Veteris testamenti sacramenta significasse & præfigurasse iustitiam; noui verò testamenti Sacramenta, eandem præstare atque efficere virtute dominicæ passionis. Verum hoc nunc certamen omitto; tantum ex te quæro, quonam modo illius temporis sacramenta beatificabant post mortem, & quidem continuò, quæ nec in vita iustificauerant? Quonã vsu suo efficere potuerunt, vt animæ iustorum mox clara Dei visione fruerentur, quæ nihil veræ purgationis, vti & B. Apostolus docet, & ipsi quoque dicitis; efficere per seipa potuerint, sed infirma fuerint egenaque elementa; à quibus proindè nec sanctitas nec beatitudo fuerit expectanda? An sicut hic fidem excitabant ad appræhendendam iustitiam, ita & post mortem excitârunt fidem ad appræhendendam visionem? Vides tu hoc quoque esse ridiculum. Sed vsum Sacramentorum fuisse dices, in exhibenda virtute mortis Christi. Vbi ergo, inquam, exhibebant illa mortis dominicæ virtutem? Si in hac tantum vita, ergo ad solam iustitiam: si & post mortem

eam

eam exhibebant ad beatæ visionis effectum, ergo & post mortem vtendum erat Sacramentis. Quod si dixeris, eo ipso profuisse ad accipiendum sine mora cæleste illud regnum, quo hic ad iustitiam contulerant: tum ad superiora te reuocabo, vnde intelligas non fuisse necesse iuxta documenta scripturarum, vt iustitiæ sine mora sua post mortem præmia redderentur. Veruntamen quoniam id, quod falsissimum esse constat de ijsdem vtriusque populi Sacramentis, Scripturæ Apostolicæ testimonio corroborare voluisti, non omittam quin te obiter admoneam vt iterum iterumque legas quod ex capite decimo prioris ad Corinthios protulisti: Omnes (inquit Paulus) eandem spiritualem escam manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Quæro ergo, num dicere velit eundem illos nobiscũ, an eundem inter se, & manducasse cibum spiritualem & potum bibisse? Quod si intenderis animum, profectò reperies nihil in toto illo cõtextu Apostolicæ doctrinæ esse, quod nos ad priorem illam, hoc est, tuam intelligentiam cogat. Imo verò cum subiungat: Sed non in pluribus eorum bene placitum est Deo; satis id insinuat se velle, quamuis omnes illi eadem inter se habuerint Sacramenta communia, non omnes tamen, sed nec plærosque Deo fuisse acceptos, vt qui non obstantibus Sacramentis quæ magno Dei munere acceperant, perditè nihilominus viuentes, tantisque Dei beneficijs in-

grati

grati, merito suo prostrati sint in deserto: & hoc vt populus etiam Christianus intelligat, non impeditura esse Sacramenta, quæ accepit, quamuis ea multò sint præstantiora veteribus, quin iram Dei grauiorem incurrat, si vitijs similibus inquinetur, quem maiore deceat sanctitate pollere. Capite vero secundo epistolæ eius quæ scripta est ad Colossenses, nec iota quidem vnum est, quod pro tua sententia faciat. Neque enim quia circuncisos dicit esse nos circuncisione non manufacta, ideo Sacramentum Circuncisionis significare voluit, nobis cũ illis esse commune: sed Sacramentum quidem ipsum circuncisionis penes illos fuisse; at penes nos esse rem eam, quæ illo signaculo adumbrabatur: quæ res ne nunc quidem Sacramentum est, sed tantum Sacramenti, non eiusdem, hoc est, Circuncisionis, sed baptismi quo regeneramur, effectus.

Ridiculo conatu descensum Christi ad inferos, ad mortis manifestationem detorqueri. CAP. VIII.

POst hæc niteris nostras ipse rationes conuellere: quod quanta dexteritate facias, ex tuis hisce verbis liquet.

Caeterum, inquis, *rationes illorum audiamus. Primum aiunt articulum fidei esse, Christus descendit ad inferna; ad quid autem descendisset, nisi vt Patres inde liberaret? quomodo autem inde libe-*

liberaret, nisi illic essent? Ad hoc argumentum solutionem subiungens. *Respondemus*, inquis, *non esse consequens, Christus descendit ad inferna, ergo illic patres fuere in limbo. Nam de eo articulo notum est fuisse varias semper sententias, & non defuere, qui planè è symbolo tollerent, quibus tamen minimè consentimus. Deinde alij* [שְׁאוֹל] *scheol, hic pro sepulchro sumũt, ac si idem quod prius diceret, Sepultus est; quod tamen non recipimus: quare descendisse Christum ad inferos concedimus, Sed quid hoc ad limbũ? Nam descensum Christi piè possumus intelligere, quod sit manifestata mors illius malis spiritibus, vt quem hactenus sepè audierant promissum mortalibus, hunc iam exhibitum scirent. Quod sanè clariori aliqua illustratione fieri potuit: Non tamen sequitur, ergo patres illic in limbo fuerunt.*

Vt video Areti, valdè hic te torquet Christi ad inferos descensus, & ideo fidei nostræ articulum incertum ac dubium, & pro tuo instituto, problematicum conaris efficere. Quo sanè ipso caussæ nostræ demonstras firmitatem, quæ labefactari abs te, nisi sublato fidei articulo, non possit. Cùm enim ais, non nuper, sed semper varias extitisse, de hoc articulo sententias: & alios quidem planè è symbolo sustulisse, alios infernum pro sepulchro accepisse, quid aliud moliris, quam vt existimandum videatur non esse fidei, Christum ad inferos descẽdisse? Nam si hæreticorum varias illas sententias intelligis, nihil id confert ad infirmandum argumen-

men-

mentum: sin catholicorum & ecclesiæ Dei, non ergo fidei est articulus. Quare nec symbolo fidei nostræ fuit inserendus, qui mox à catholicis quibusdam sine fidei præiudicio è symbolo fidei tolleretur. Vellem ergo dixisses quorum illæ fuerint sententiæ: non quod nostræ ætatis hæreticorum pugnas hac in re nesciamus; sed quia semper varias fuisse de hoc articulo sententias scribis: dic quorum; Ecclesiæ, an aduersariorũ eius? An fortè quia Concilij Nicæni patres, descensus ad inferos non meminêre, idcirco id è symbolo fidei sustulerunt? Quasi videlicet propterea deleuerint in symbolo Apostolico, quia non expresserint in suo. Nam neque sepulturæ idem symbolum meminit, vti nec Athanasius in symbolo suo; neque tamen propterea eum articulum è symbolo fidei sustulisse dicẽdi sunt. Qui etiam descẽsum ad inferos, nihil aliud esse putarint quam sepulturæ eius significationem, vnumque alterius interpretationem esse censuerint; nullos nisi hæreticos, aut nullius ponderis authores proferre possis. Quod & Caluinus ipse, vti cuiuis facillimũ fuit, sic refellit, vt dicat rem minimè difficilem, verbisque expeditis & claris demõstratam, obscuriore verborum cõplexu non potuisse illustrari, neque esse verisimile irrepere potuisse superfluã eiusmodi battalogiam in compendium hoc, vbi summatim, quam fieri potest, paucissimis verbis præcipua fidei capita notantur. Quocirca sententiarum ista varietas, adiumẽto tibi non potest

test esse ad debilitandum argumentum, quod tamen hoc modo conaris infringere. Ais enim propterea ex Christi ad inferos descensu nihil posse de Limbo statui; quia notū sit varias semper de illo articulo sententias extitisse. Cæterum qualescunque ad authores aspicias, tamen eorum sententias probari tibi negas. Melius ergo aliquid Areti substitue. At quid illud? *Descęsum* enim ais *Christi, piè possumus intelligere, quod sit manifestata mors illius malis spiritibus.* Iam melius Areti, aut ex professo sustulisses è symbolo, aut in sepulchro mansisses, quam sic piè, hoc est, imperitè luderes in Christi ad inferos descensu. Si enim propterea descendit ad inferos: quonã ergo modo reductus ex inferis? Reduxisti (inquit) ex inferno animam meam; *Psal 29.* Et, Non derelinquès animã meam in inferno. *Psal. 15.* An fortè vsq; ad tertium duntaxat resurrectionis diem, eum qui promissus fuerat exhibitum scierunt, & resurgente Christo omnis illa scientia elapsa est? Quæ si perdurauit, Christus ergo remansit apud inferos. Quomodo enim non propter hoc mansit, propter quod solum descendit? Atqui non ait Psalmus, Non derelinques mei notitiam in inferno; sed, non derelinques animam meã in inferno. Vndè certissimè colligitur non per sui duntaxat notitiam, sed planè secundum animam suam descendisse Christum ad inferos, quomodo secundum corpus suum triduo dūtaxat in sepulchro relictus est, ne contingeret sanctum eius videre corru-

ptio-

ptionem. Rurſum, ſi malis ſpiritibus manifeſtari cõueniebat apud inferos exhibitum illum eſſe, quem ſæpè mortalibus promiſſum audierant, vnde tibi conſtat non eſſe manifeſtationem hanc factam, mox vbi ſtellæ indicio natus eſt, aut poſtquam miraculis clarus & celebris effectus eſt? Quod ſi id factum eſt, quoniam ille iam exhibitus erat, qui fuerat promiſſus mortalibus, idq́; ſpirituum eorum intererat vt noſſent, igitur & ante mortẽ ad inferos deſcendit; cùm tamen habeat regula fidei, deſcenſum ad inferos mortem ipſam ſubſecutum eſſe. Id quod tu ipſe ſic retines pro indubitato, vt obijciendum putaueris ijs, qui totum quod de deſcenſu ad inferos ſcribitur, ad ſenſum iræ diuinæ referunt, qui ſenſus eo grauior erat, quod pœnas ſubiret irati patris pro tanto humani generis delicto.

Nam ſi quæras, inquis, *quando hic ſenſus iræ diuinæ inceperit, quando item ſit finitus, reſpondebũt fortaſſe cœpiſſe in horto dũ orauit & ſanguine ſudare cœpit: finitum autem in cruce cùm tradidit animam. Verum deſcenſus ad inferos hæc omnia eſt conſecutus, ideoq; fruſtra adferuntur illa.*

Hæc tu in problemate de deſcenſu ad inferos: Quibus, vt iure vereq́ue refellis commentum illud improbabile de ſenſu iræ diuinę, tanquam is fuerit ad inferos deſcẽſus; ita metuere debes, ne iſtud tuum inuentum de manifeſtatione mortis Chriſti, iure ab alijs refellatur, nec alio, quam tuo ipſius argumento. Qui deindè

con-

conueniebat malis ſpiritibus mortem ſaluatoris peculiariter manifeſtari,cũ ex mortis nuncio increduli illi ſpiritus magis perſuadere ſibi potuerint, non eſſe ſaluatorem mortalium, qui mortem ipſe ſubire coactus eſſet? Nam & hi qui in terris vagabantur ſpiritus mali, ipſique adeò principes ſpirituũ immũdorum,ſi ſciſſent mortem Chriſti futuram fuiſſe mortalibus ſalutarem,nunquam eum in mortem per Iudęorum furorem pertraxiſſent, neque vnquam, vt Apoſtoli verbis vtar, Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed hoc inſitum tenebant, ſaluare non poſſe,quem mori coëgiſſent. Quæ illos decepit opinio, quod vim dominicæ mortis ignorabant: Magis ergo reſurrectionem Chriſti, & aſcenſum eius in cælum, atq; effuſionem promiſſi ſpiritus manifeſtari conuenerat apud inferos: Quod ſi proindè factum eſt; igitur & poſtquam reſurrexit,immo & poſteaquam iam aſcendit in cælos,deſcẽdit ad inferos Chriſtus, per illam gloriæ ſuæ manifeſtationem. Cùm enim non ad ſalutem, ſed ad cruciatum facta putanda ſit Chriſti manifeſtatio apud malignos ſpiritus, magis profectò de gloriæ & virtutis nuncio terreri, torqueriq́ue potuerunt, quam de nuncio imbecillitatis & mortis. Quid deindè clariori illuſtratione præſtitum malis ſpiritibus? an vt ſcirent Mariæ filium eſſe mortuum? Sed hoc per ſuos collegas, qui eum occiderant, diſcere potuerunt, nihil vt opus eſſet ad eam rem clariori illuſtratione. An vt cre-

1. Cor. 2.

derent eum, qui occisus esset, Dei esse filium, mundique liberatorem? Ergo fideles effecti sunt apud inferos, qui hic credere recusarant. An vt hoc ipsum intelligerent, non crederent? Feliciores ergo nobis, quibus adhuc in expectatione est, vt quod credimus, tandem clarioris beneficio illustrationis intelligamus. Rursum, si in hac manifestatione mortis, descensus ille ad inferos constituendus est; quæro id ne faciendum sit propter rem manifestatam, an propter manifestantis operationem? Si propter rem manifestatam; Mors ergo Christi & crux eius atque sepulchrum ad inferos descenderũt: sin propter manifestantis operationem, ergo & pater & spiritus sanctus descendit ad inferos; eò quod nulla sit vnius operatio personæ, quæ non sit eadem numero cæteris tribuenda personis. Certa enim sentẽtia est, & tam vera quàm trita, Opera Trinitatis indiuisa esse. Quod vellem Durandus ipse attendisset, non esset (quantum arbitror) tam incircumspectè descensum ad inferos interpretatus, propter effectum quem anima Christi in ijs qui apud inferos erant, habuerit. Cum enim eundem effectum tota produxerit beatissima Trinitas, quis non intelligat sequuturum vt pari ratione totam illam ad inferos descendisse fateri debeamus? Nec verò satis fuerit à quoquam hoc patrocinio defensus, si dixerit illũ ad caussam meritoriam respexisse. Nam si Christus rectè dicetur ad inferos descendisse propter effectum meriti sui, quan-

quanto magis tota Trinitas propter suæ diuinitatis energiam? Postremò si propter mortis manifestationẽ descendit ad inferos Christus, non igitur eò descendit secũdum animam tantummodo, verùm etiam secundum corpus; cùm constet mortẽ hominis tam sine corpore quam sine anima concipi omninò non posse. Atqui hoc apud omnes catholicos in cõfesso est, quod etiam clarissimè Diuus Fulgentius explicauit tanquam ad fidei regulas pertinẽs, Dei filium in sepulchro secundum solam carnem iacuisse, & in infernum secundum solam animam descendisse: & hoc cum in libro De fide ad Petrum diaconum facit, tum & alijs inculcat locis: velut in epistola ad Ferrãdum diaconum, & lib. 3. ad Trasimundum Regem cap. 34. Non enim nesciebat esse hanc Augustini doctrinam tractatu in Ioannem 78. sic scribentis. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Iam vt teipsum audias Areti magnopere postulo. Nõne cum de descensu Christi ad inferos scribis, constare ex Petro asseris Christum spiritu ad inferos descendisse? Ais enim: *Porrò quomodo descẽderit corporéne, an spiritu: difficile quidem est hac Dei arcana perscrutari. Tamen ex Petro constat, spiritu Christum descendisse. Nam expresse inquit, In quo, scilicet spiritu, profectus prædicauit spiritibus, &c. Spiritu igitur cum prædicarit illis, & spiritu cum sit ad eos profectus;*

 sequi-

ſequitur ſpiritu illum deſcendiſſe. Ac ne dubium eſſet, quid nomine ſpiritus ſignificare velles, non multò poſt animam Chriſti ſignificare te demonſtras, his verbis. *Sed de illo non ſatis conſtat, quamdiu apud inferos ſit commoratus. Non diu vt apparet, vt eadem die ſecundum animam ab inferis reuerſus, glorioſè paradiſum ſit ingreſſus cum Latrone.* Hoc tu quidem magno errore ob vanum illum metum, ne dicendum eſſet, Chriſtum eadem die qua mortuus eſt, non fuiſſe cum Latrone in paradiſo. Veruntamen ſatis apertè declaras, quid vocabulo ſpiritus lineis ſuperioriobus intelligi volueris. Paulò quoque poſt: *Nec validius eſt,* inquit, *alterum quod afferunt, Chriſtum ſcilicet commendaſſe animam in manus patris. Nam anima Chriſti ſemper in manibus patris fuit, etiamſi deſcenderit ad inferos.* Quin etiam doces poſtea, deſcenſum illum Chriſti ſecundum animam neceſſarium fuiſſe: *Quod verò dicunt,* ais, *Non fuiſſe opus hoc deſcenſu, principium petunt: Quomodo enim opus nō eſſet, quod Chriſtum feciſſe pronunciat ſcriptura, & quod cōfitemur in ſymbolo? Neceſſarium igitur fuiſſe iudicamus.*

Hæc tua (vt opinor) verba recognoſcis. Cùm igitur Areti, alio loco de Chriſti ad inferos deſcenſu ſic diſſeras, vt de eo ſecundum ſpiritum ſeu animam ex ſcriptura ſacra conſtare dicas, vt neceſſarium fuiſſe iudices, vt hoc nos in ſymbolo affirmes profiteri; cur hic eandem rem in dubium vocas? Cur in eo iam catholicis aduer-

ſaris,

ſatis, quod aduerſus alias ſectas defendis vt certum & indubitatum? Nónne hic animaduertis, quanta tenearis libidine eccleſiæ cõtradicendi, aduerſus quam diſputans, non ei concedendum putas, quod aliàs vt certum neceſſariumq; defendis? Quæ deinde pietas intellectus, qui ſit contra ſcripturam, contra ſymbolum, cõtra tuum ipſius iudicium? Si ergo, vt ipſe vehementer alio loco confirmas, Chriſtus ſecundum animam deſcendit ad inferos, patere nos hoc vti argumento, ad Limbi ſtabiliendã aſſertionem; quia Chriſti anima apud inferos fuit te quoque iudice, & tamen in gehenna & ſtagno illo ignis & ſulphuris cum diabolo non fuit. Nec vlla efficiet tua ratio, vt propter ſolos ſpiritus reprobos aut dæmones, hic Chriſti ſecundum animam deſcenſus, aut factus eſſe, aut neceſſarius extitiſſe credatur: Nam quod de illuminatione ſeu clariori apud inferos illuſtratione facta commemoras, Id ſcriptura refert non ad damnatos, qui proiecti ſunt in tenebras exteriores, longeque ab omni ſpiritus illuminatione remoti, ſed ad eos iuſtorum ſpiritus, qui illic poſiti ſperabant in Domino. Sic enim apud Eccleſiaſticũ loquitur Sapiẽtia Chriſtus *Cap.24.* Dominus: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciã omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino; illos nimirum de quibus à Domino dicitur in euangelio; Multi prophetę & iuſti cupierunt videre & au- *Matth.13.* dire, quæ vos videtis & auditis. Propter hos

enim (inquit S. Irenæus) descendit Christus in inferiora terræ; sicut Hieremias ait: Recommemoratus est Dominus sanctus Israël mortuorum suorum, qui prædormierũt in terra defossionis, & descendit ad eos, vti euangelizaret eis salutare suum, & saluaret eos. Sic Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 39. Quo referendum est quod Diuus Hilarius ait mortem in inferno peremisse Christum; quia videlicet electos suos qui communi mortis lege apud inferos tenebantur, reuocarit ad vitam. Idcirco enim, vt habet epistola Felicis Pontificis, verbum Dei, inferni claustra contriuit, vt viuificaret eos qui à sæculo mortui sunt. At Caluinus suarum Institutionum lib. 2. cap. 16. Hilarij sententiam aliò longè detorsit. Cùm enim doctrinam de Patrum Limbo receptissimam, familiari sibi arrogantia, fabulam esse pronunciaret; simulque interim fateretur à magnis authoribus eam confirmari, (qui tamẽ magni authores esse non possunt, si tanto consensu, pro veritate, fabulosa commenta posteris propinarint) inferos, ne procul esset eundum, in ipsa cruce posuit; videlicet ipsum terræ cor in exaltatione à terra constituens, descensũmque ad inferna fingens ipsa morte priorem, vt qui in eo positus fuerit quod Dei filius in cruce pendens ad corporis cruciatus hoc adiunxerit, vt cum inferorum copijs, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus luctaretur: atque hoc totum, vt Dei iudicio satisfaceret, placataque

Libro 4. de Trinit. in fine.

Patris

Patris ira, hoc suo merito mortem, vt Diuus Hilarius ait, perimeret. Quasi non euidentissimè sanctus ille doctor, symboli Apostolici secutus ordinem, inferos post crucem mortemque posuerit, libro 2. de Trinitate. Quo quidem loco non significat, descensu ad inferos, Christum vitam nobis meruisse: quod vult Caluinus in illis Hilarij verbis intelligi; vt inferos non post crucem, sed in cruce statui Christo debere, Veteris alicuius authoritate confirmaret. Sed nihil mirum si perperam intelligat, qui vel deprauatum legit Hilarium, vel lectionem ipse deprauârit. Sic enim legit Caluinus; Crux, mors, inferi, nostra vita sunt: cum ex diuo Leone qui hunc citat Hilarij locum, sic constet esse legendum: Virgo, partus & corpus; post quæ crux, mors, inferi, salus nostra est. Quibus verbis non significat quod descẽsu ad inferos nostram salutem patri satisfaciendo meruerit; sed ordinem expressit rerum gestarum, quo crucem & mortem, descensus ad inferos, atque hæc omnia salus nostra, in populorum conuersione secuta est. Verùm contra Caluinum prolixius agere non huius est instituti: & si esset, nihil ei grauius atque intolerabilius impingi posset, quam id quod vltrò ipse fatetur; cum tale sit vt ne Turco quidem, si fateretur, ignosci deberet, Christum quo maius atque excellentius patri pretiũ offerret, diros in anima cruciatus damnati & perditi hominis pertulisse, istoque modo ad inferos descẽdisse; videlicet, non propter

Epist. 79.

infernales ſedes ad quas penetrârit, ſed propter gehennæ & deſperatiſſimorum ſpirituum tormenta quæ in cruce perpeſſus ſit. Cæterum, benè habet quod alibi Diuus Hilarius clarè nobis ſuam aperuerit mentem, de Chriſti ad inferos deſcenſu. Siquidem enarrans Pſalmum 53. Morte, inquit, non interceptus vnigenitus Dei filius ad explendam quidem hominis naturam, morti ſe, id eſt, diſceſſioni ſe tanquam animæ corporiſque ſubiecit, & ad infernas ſedes, id quod homini videtur debitum eſſe, penetrauit. Habes in illis D. Hilarij verbis, Chriſtum Dominum poſt animæ à corpore diſceſſionẽ, non ad deſperationem damnatorum ſeſe demiſiſſe, ſed ad ipſas inferorum ſedes penetraſſe. Quid autem reſpondiſſet Caluinus ad Epheſini concilij verba, ſcire vellem: Aiunt enim Patres, pro omnibus Chriſtum guſtaſſe mortem, & tertia die reſurgentem expoliaſſe infernum. Quo etiam modo S. Baſilius ait, deuicto mortis regno, rediſſe à mortuis Dei filium cum ſpolijs; quemadmodum eius verba referuntur lib. 5. Vigilij Tridentini. Et D. Ambroſius reſurgentem ex inferis Chriſtum veniſſe nouis redimitum exuuijs, & ſpolio ex morte quæſito. Hic certè nullum ei refugium relictũ eſt ad Chriſti ſatisfactionem qua infernum ſpoliauit, quoniam ea peracta ſit ante diem tertiam, fueritque in ipſa cruce pleniſſima. Quonã ergo modo, tertia demùm die reſurgẽs Chriſtus, infernum ſpoliauit; niſi quia tum, ex inferis rediens victor

Libro 4 de fide ad Gratianũ ca. 1

victor mortis atque inferorum, secum eduxerit quos voluit, & in ijs tanquam spolia quædam pretiosissima amplissimaque exportarit? Habes igitur grauissima quoque illius concilij authoritate confirmatum, propter quos Christus ad inferna descenderit; nimirum non propter impios illos damnatosq; spiritus, quos ibi reliquit æternæ captiuitatis obstrictos vinculis; sed propter eos qui in ipso spem habuerãt, quos illuminatos præsentia sui, eripuit inferis, regnoque cælesti donauit.

Petri locus num quam vim habeat ad Limbum stabiliendum. CAP. IX.

AFferunt, inquis, *locum 1. Petri 3. & 4. capite, Christum descendisse & prædicasse spiritibus in carcere detentis, Et ca. 3. Ideo prædicatum est mortuis, vt iudicentur secundum carnẽ, viuant autem Deo spiritu. Primum, locus prior cap. 3. planè loquitur de impijs, quos nõ redemit nec eduxit: Frustra igitur ad limbi defensionem trahitur, vt cui sanctos tribuant. Posterior autem locus, de bonis quidem loquitur, sed non exprimit à Christo factam hanc prædicationem. Deinde si maxime Christo tribuatur id, non tamen hic dicit apud inferos & in limbo factum; sed mortuis inquit prædicatum esse euangelium: quod verũ est; Christus enim ascẽdens in cælum, plausibile illis attulit euangeliũ, ac iudicãdos inquit esse secundum carnẽ, vt viuerẽt Deo spiritu. Quod de sanctis omnino verũ est. Iudicabuntur etenim pij*

etiam secundum carnem tanquam homines, In iudicium autem non intrabunt, hoc est, non damnabuntur, sed Deo viuent. Sed possunt mortui intelligi etiam viuentes peccatores, vt Christus inquit: Sine mortuos sepelire mortuos suos: Et Apostolus ad Timoth. 5. Vidua petulans viuens mortua dicitur. Ideoq; D. Augustinus, vult esse collationem temporum Noë & prædicationis Christi in carne. Hactenus Aretius.

Quod ad priorem pertinet Petri locum, das hoc saltem nobis Areti, de Christi ad inferos secundum animam descensu rectè intelligi, vt hac in parte patrocinio Veterum non magnoperè sit opus; in quibus clari aliquot scriptores Petri locum eodem retulerunt. Velut, Athanasius in epistola ad Epictetum Corinthiorum Episcopum: Et Tractatu aduersus Apollinaré, de salutari Christi aduentu. Cyrillus quoque lib. de recta fide, ad Theodosium; In libro de recta fide ad Reginas: Libro quoque 12. in Ioannem capite 36. Quibus consentit & ille commentarius Diuo inscriptus Ambrosio in illud 10. capitis ad Romanos: Quis descendit in abyssum. Nec ab eo sensu alienum est, quod legitur apud D. Hieronymum in cap. 54. Isaiæ; vbi commẽtarius ex Origene depromptus est. Nec verò necesse est, plura testimonia cõgerere in eo quod abs te nobis conceditur. Veruntamen nihil id valere ad Limbum astruendum, propterea vis, quod de impijs loquatur Petrus; ad quos quamuis descenderit Christus, non

tamen

tamen eos redemerit neque eduxerit. Sed quæro, Cur tam planum ſit, Petro ſermonem eſſe de impijs apud inferos conſtitutis? Reſpondebis, opinor, quia dicat prædicatum eſſe ſpiritibus ijs qui increduli fuerant aliquando. An verò propterea planum eſt de impijs in ſua incredulitate damnatis ſermonem eſſe? Imò verò non permanentis impietatis potius ſignificationem facit, quod non dicit, Qui increduli adhuc erant; ſed qui increduli fuerant aliquando. Nam quod adiungitur de arca Noë, id probabili ſenſu ab antecedentibus auellitur, in quo explicando hærere non noſtri eſt inſtituti. Quod ſi quæras, quando ergo ſpiritus illi fuerint increduli ſiue inobedientes? facile erit reſpondere, priuſquam iuſtificarentur, beneq; ac ſanctè ex fide viuerent, incredulos inobedientesque fuiſſe, ſaltem in parente primo, in quo omnes, teſte Paulo, peccauerunt. Nam eò reſpexiſſe ſanctum Athanaſium, verba eius illa declarant: Qui de Adæ inobedientia quæſtionem habuit, iudicioque peracto duplicem pœnam in ſententia ſua complexus erat, dum rei terreſtri ita loquitur: Terra es, & in terram reuerteris: Atq; hinc eſt quod homo in duas partes diſcerpitur, & vt ad duo loca diſcedat condemnatur. Ac proindè opus fuit illo ipſo iudice qui hoc decretum tulerat, vt ipſe per ſe ſententiā ſolueret, ſub ſpecie condemnati, incondemnatum ſe ſincerumque à peccato oſtendens. In his verbis eam condemnationem qua fit, vt corpore

Roman. 5

In tractatu de natura humana ſuſcep: a ab vnigenito verbo, & contra Apollinarē; longe ante finem. tom. 3.

pore in terram abeunte, anima diſcedat in infernum, aſſcribit Adæ inobedientiæ. Nam agi de deſcenſu ad inferos, ex ſuperioribus conſtat verbis. Qua ratione, inquit, factum eſt, vt cum Dominus adeſſet incorporaliter, pro homine à morte ſit agnitus, vt earum animarum quas infernus tenebat, vincula, ſua anima inobnoxia quidem vinculis mortis, ſed tamen quæ quaſi obnoxia facta eſſet, diſrumperet, explicans illis modum rationemq; ſuæ reſurrectionis, vt Plaſtes ille & conditor hominis, hominem damnationi ſubiectum ipſe præſens ad plenũ liberaret in ſua forma. Hæc Sanctus Athanaſius. Quibus perſimilia reperies apud Diuum Fulgentium: nec vana, vt arbitror, ſuſpicio eſt, hæc illũ ex Athanaſio mutuatum eſſe. Diuus quoque Hieronymus in illud Zachariç 4. Tu quoque in ſanguine teſtamenti; Et in illud Oſeæ 13. Ero morſus tuus inferne, detentionem ſanctorum in inferno refert ad peccatum Adæ, ſiue inoliti erroris peccata. Et Epiphanius in hæreſi Tatiana, quæ eſt 46. Chriſtum veniſſe dicit, vt his qui olim ipſum cognouerant, & ab ipſius Deitate non aberrauerãt, verùm propter errores in inferno detenti erant, indulgentiam largiretur. Si autem placuerit nullam auulſionem facere, ſed vno cõtextu accipienda putentur quæ ſubiuncta ſunt de Noë hiſtoria, in promptu erit & ille ſenſus, vt intelligãtur increduli fuiſſe, qui fabricanti quidem arcam Noë non crediderunt diluuium eſſe venturum, nimium videlicet

Libri tertij ad Traſimundum Regẽ, c. 30.

ſibi

ſibi de Domini lenitate promittentes, ſed tamen diluuio inundante, terrore perculſi ſeroque credentes pœnitentiam egerint. Nam & ea non contemnendorum interpretum expoſitio eſt. Sed & hoc reperitur apud quoſdam, vt dicantur illi ſancti increduli fuiſſe cum expectabat Dei patientia, (ſiue vt alia habet lectio, quando expectabatur Dei patientia) in diebus Noë, quia cum vulgo hominum expectantium Dei patientiam, non crediderint diluuium non eſſe venturum, ideoque pro incredulis habiti ſint à multitudine: quomodo de ſe ait Ieremias Seduxiſti me Domine & ſeductus ſum, propterea quod paſſim vt malus propheta & ſeductus haberetur. Cernis Areti quot viæ nobis pateant, vt libera eſſe poſſit de piorum ſpiritibus interpretãdi facultas. Quanquam quid ad rem pertinebat, vt de impijs ſpiritibus hoc interſereretur, quibus nulla potuit ad ſalutem prædicatio fieri, ſed ad confuſionem duntaxat ac damnationem; Quid, inquam, attinebat illud interſeri à Petro, à quo ex profeſſo Chriſti beneficium & miſericordia erga homines amplificaretur? Nam Chriſtus, inquit, ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu: in quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando. Ideoque fatetur ipſe Caluinus, libro ſuarum Inſtitutionum ſecundo, cap. 16. contextum eò nos ducere,

Cap. 20.

1. Pet. 3.

fide-

fideles, qui ante id tempus defuncti fuerant, consortes fuisse eiusdem nobiscum gratię: quia vim mortis (inquit) inde amplificat, quod ad mortuos vsque penetrauerit, dum piæ animæ eius visitationis, quam solicitè expectauerant, præsenti aspectu sunt potitæ. Verùm pias hasce mortuorum animas Caluinus in carcere fuisse non putat, quemadmodũ nos apud Petrum legimus, sed in Specula, quomodo ipse legẽdum arbitratur; quod vndè somniarit diuinare non possum, cum constet alienum id esse à græcæ dictionis significatione, & à communi (quod & ipse agnoscit) hactenusque probata lectione abhorrere. Sed hoc fingendum erat potius, quam Limbi carcer agnoscendus. Quanquam viderit, an non melius illos spiritus reliquisset in carcere, qui si fuerint in specula, inde res humanas prospicere & curare, opemque cum necesse esset afferre potuerint.

Quod verò ad alterum Petri locum spectat: Quamuis eum non vrgeamus, neque vim aliquam ad Limbum statuendum habere putemus; tamen quale est, quod eum tu referas ad spiritus in cælo beatos? Quasi videlicet priusquam ascendisset Christus in cælum, non vixissent Deo spiritu, sed vt sic viuerent, ad hoc eis fuerit euangelium Christi voce prædicandum. Si enim propterea est illis euangelizatum, vt spiritu viuerent Deo; mortui ergo prius erant spiritu; quare nec beati, nec Dei clara visione perfruentes, nec omninò in cælo; in quo

illę statuş est, quem Propheta expressit, vbi videlicet iam amplius non diceretur, Cognosce Dominum; ideoque nec euangelio omninò sit opus. Deinde, cum iudicium secundum carnem opponat Petrus vitæ ei quæ secundum spiritum est, hoc sensu, vt quamuis iudicentur carne, tamen viuant spiritu: perspicuum est iudicium hoc carnis, damnationem quandam & pœnam mortemque esse, quæ à beatorum corporibus in illo vltimo iudicio longè erit. Mortuos ergo rectè intellexerimus homines morti destinatos & propinquos, siue per iudicis sententiam, siue per morbi vim, qui immedicabiliter oppresserit; Hi enim pro mortuis deputantur. Veruntamen & quibusdam talibus euangelizatum fuit, vt quamuis carne mortis iudicium subirent, tamen conuersi atque baptizati, spiritu viuere possent. Sic enim sanctus Epiphanius libro primo aduersus hæreses, hæresi 28. rectè accipi posse putat illud: Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? Quod morti vicini, inquit, si fuerint in pietatis doctrina instructi, ob hanc spem ante obitum, lauacro digni fiunt, ostendentes quod qui mortuus est resurget, & ob id indiget remissione peccatorum per lauacrum: Sic Epiphanius. Ac tametsi D. Augustinus epist. 99. sub finē declaret, posse mortuos, infideles intelligi (Fieri enim potest, inquit, vt mortuos dixerit infideles, hoc est in anima mortuos: de qualibus dicitur; dimitte mortuos sepelire mortuos suós) & ideò non

Ierem. 31.

1. Cor. 15.

Matth. 8.

cogere

cogere ea verba, vt apud inferos intelligatur hæc mortuis facta prædicatio: tamen iudicium ſecundum carnem non aliter accipere potuit, quam vt pœna & damnatio aliqua temporalis nomine iudicij ſignificaretur. Propterea enim (inquit) in hac vita & mortuis euangelizatum eſt, id eſt, infidelibus & iniquis, vt cum crediderint, iudicentur quidem ſecundum homines in carne, id eſt, diuerſis tribulationibus, & in

1. Petri 4. ipſa morte carnis. Vnde idem Apoſtolus alio in loco dicit, tempus eſſe vt iudicium incipiat à Domo Dei: Viuant autem ſecundum Deum ſpiritu. Sed quamuis in priore illo de mortuis per infidelitatem, Auguſtinum ſequeris; in hoc tamen quod adiungitur de iudicio ſecundum carnem, ſequi D. Auguſtinum non poteris, niſi fateare peccatis remiſſis, in quo ineſt vita ſpiritus, reſtare adhuc temporalem in morte pœnam. Quid ergo te iuuat, quod cum Auguſtino infideles intellexeris, quando quod de iudicio exponitur, cum Auguſtino intelligere nec velis nec per tuam hæreſim poſſis? Denique quod poſtremò loco ponis, de collatione temporum, Noë & prædicationis Chriſti in carne; non poſteriorem hunc Petri locum, (quemadmodum tua verba præ ſe ferunt) ſed priorem, Auguſti-

Epiſto. 99. inter medium & finem. nus eò retulit, neque id interpretatione non dubia, ſed tẽperata per [fortè]. Conſidera (inquit) ne fortè totum illud, quod de concluſis in carcere ſpiritibus, qui in diebus Noë non crediderant, Petrus Apoſtolus dicit, omninò

ad in-

ad inferos non pertineat; ſed ad illa potius tempora, quorum formam ad hæc tempora tranſtulit. Illa quippe res geſta forma fuerat futurorum, vt ij qui modò non credunt euangelio, dum in omnibus gentibus ædificatur Eccleſia, illis intelligantur eſſe ſimiles, qui tunc non crediderunt cum fabricaretur arca. Illi autem qui crediderunt, & per baptiſmum ſalui fiunt, illis comparentur qui tunc in eadem arca ſalui facti ſunt per aquam. Vnde ait: Sic & vos ſimili forma, baptiſma ſaluos facit. Hæc Auguſtinus. Quibus ſi additur epiſtolæ concluſio eiuſmodi: Hæc expoſitio verborum Petri cui diſplicet, vel cui etiam ſi non diſplicet, non tamen ſufficit, quærat ea ſecundum inferos intelligere. Qui ſi valuerit illa quibus me moueri ſupra commemoraui ita ſoluere, vt eorum auferat dubitationem, impartiat & mihi. Ad hæc igitur omnia Auguſtini verba ſi quis attenderit, facilè perſpiciet non eſſe verũ, quod ais, Auguſtinum velle eſſe collationem temporum Noë & prædicationis Chriſti in carne, cum conſtet nihil eum hic adhuc fixum habere, ſed inquirere, & quod melius ſit impartiri ſibi cupere.

De loco 1. Petri 3. quid annotatum Beza reliquerit. CAPVT X.

CÆterum ad doctrinã de Limbo & Chriſti ad inferos deſcenſum; Petri locum accommodari non poſſe, quibuſdam argumentis

se Theodorus Beza confecisse non dubitat.

Sit (inquit) *ista opinio quantumlibet vetus, & maximorum virorum authoritate nitatur, tamen non posse huc applicari quod hic commemorat Petrus, istis argumentis ostendo. Primum, nulla hic mentio fit animæ Christi, sed spiritus, id est diuinæ potentiæ. Neque enim per spiritum intelligere possis animam Christi, quin simul dicas eum per animam fuisse reuocatum in vitam.*

Interpres quidem noster Theodore, reddidit: Vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu; In quo & his: vbi cum Spiritus opponatur carni, dicere non possis ad animam id non esse referendum. Siquidem anima præsertim deposita vetustate peccati, spiritualis effecta, non rarò spiritus est appellata: velut vbi legitur; Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est: Et rursum; Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: sed euidentius vbi scriptum est de tradẽdo Sathanæ Corinthio illo, in interitum carnis vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Item ad Romanos 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus verò viuit propter iustificationem. Hæc igitur cùm sic expressa legamus, neque ipsam diuinitatem intelligere possimus saluam fieri in die Domini, aut per iustificationis gratiam viuere, sed animam humanam debeamus accipere [Spiritus] vocabulo designatam, quid caussæ sit cur hic quo-

Ioann. 3.
Galat 5.
1. Cor. 5.

quoque in vocabulo [ſpiritus] animam Chriſti intelligere nequeamus? Etenim etſi legendum ſit, quemadmodum legi vis & vetus interpres legit, & Epiphanius & Hieronymus & Oecumenius & Auguſtinus, vt videlicet Chriſtus ipſe dicatur mortificatus carne, viuificatus autẽ ſpiritu: nihil tamen terret nos quod ais, nõ poſſe per [Spiritum] animã Chriſti intelligi, quin ſimul dicatur eum per animam ſuam eſſe in vitam reuocatum. Neque enim neceſſe eſt vt viuificatus ſpiritu, idem ſit quod reuocatus in vitam ſiue ſuſcitatus, cum aptius intellexerimus, viuificationem ſpiritus, ipſa ſuſcitatione poſteriorem, naturæ ſaltem ordine. Diuina ſiquidem virtute anima corpori reddita eſt per reſurrectionem; Reddita verò anima, corpus antea mortuum penitus viuificare cœpit, vſque adeò vt id iam ſine alimentorum ſubſidijs, viuum ac vegetum ipſoque immortalitatis vigore perpetuum redderet. Propter quam animæ in Chriſto vim dicit Paulus ad Corinthios: Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Quo etiã loco nomine [Spiritus] ſignificata eſt anima Chriſti, quæ cum prius in corpore mortali vitam animalem efficeret ad ſimilitudinẽ primi Adæ, poſtea conditionem corporis animalis in ſpiritalem quendã habitum transformauit, non vt corpus eſſe aut caro deſineret, ſed vt in modum ſtatus angelici cibo deinceps & potu non egeret. Mortuus ergo ſemel eſt Chriſtus, iuſtus 1. Cor. 15.

pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne prius, sed post resurrectionem ita in eadem carne viuificatus à spiritu suo siue anima sua, vt in posterum iam mori non posset. Quanquam & sic quidam intelligant, vt dicatur Christus secundum carnem quidem mortuus, secundum spiritum verò, hoc est, animam semper viuus. Siue ergo hoc, siue illo modo accipias, quid verbis consequentibus intelligendum relinquitur, nisi quod in illo spiritu, hoc est, secundum animam suam, profectus ad eos qui in carcere inclusi tenebantur, prædicarit? Sed vt demus sanè per spiritum intelligi oportere spiritum sanctum, quomodo ipse intellexit Athanasius, cur sit colligendum ad doctrinam de Limbo nihil omninò Petri locum posse pertinere? Adeóne bona mente caruit Athanasius, vt cum diuinum spiritum interpretaretur, tamen non dubitarit accipere significatum esse descensum Christi, quo secundum animam profectus sit ad spiritus quosdam iustorum, adhuc inferni carceris vinculis compeditos? Quod enim secundum animam eo profectus sit, etiamsi in vocabulo spiritus non oporteret intelligi, tamen in eo quod dicitur [veniens] aut [profectus] ex regula rectissimæ rationis, intelligi posset. Nam cum ad eos spiritus qui erant in carcere, non ierit secundum carnem, nec ire potuerit nisi secundum aliquam suæ naturæ humanæ partem; cur non verissimè cogitetur illuc secundum animam profectus esse?

Siqui-

Siquidem nomine [Spirituum] non debere accipi homines totos in hac mortali carne viuentes, ad quos venerit Christus etiam secundum carnem, vt prædicatione suæ doctrinæ suscitaret eos à morte peccati, ipse quoque Beza declarat: *Primo enim (inquit) cur viuis hominibus Spirituum nomen tribueret? Nam certè noua est & inaudita ista Synecdoche, præsertim cum de ijs agitur qui non sunt regenerati. Secundo cum mortuos apertè non nominet, coactam esse allegoricam istam interpretationem apparet, & cætera.* Sic Beza; in eo proculdubio sensum illum adiuuans, qui de Limbo traditur à vetustis authoribus: Quem multo minus alijs suis argumentis euertit, quæ & nullius momenti sunt, & superioribus dissoluuntur, vt non putem operæ pretium ijs sigillatim proponendis atque dissoluendis tempus conterere. Quale enim est vt vrgeatur, non esse dictũ [liberauit] sed [prædicauit] cum facillimè possit intelligi non eò descendisse Christum vt frustra & sine effectu solatij prędicaret? Aut cur putetur aliud esse prædicare, aliud dicere, Adsum ille quem expectabatis; cum eo ipso Christus suum in terris Euangelium prædicarit, quia sese demonstrarit, & rebus & verbis illum esse Messiam quem Prophetæ promiserant? Denique quid affert Beza melius? Nempe vt Christus in spiritu suæ diuinitatis neque secundum carnem, neque secundum animam, quæ nondum susceperat, iam olim adueniens,

ipſa Arcæ conſtructione prædicarit ſpiritibus, hoc eſt illis hominibus quorũ ſpiritus iam ſunt in carcere infernali. Sed meminiſſe illũ oportuit quod ante dixerat nomine [Spirituum] nõ rectè homines viuos intelligi: prædicatio autem illa per Arcam facta ad viuos homines pertinuit. Non ergo ſic veniens Chriſtus ſpiritibus hominum, ſed ipſis hominibus qui ſpiritus non erãt prædicauit. Deinde quamuis Beza legendum putet [Qui ſunt in carcere] nos ſic tamen nõ legimus, ſed [Qui in carcere erant] aut [in carcere conſtitutis] quomodo & Eraſmus ſine omni ſcrupulo reddidit, & hactenus lectũ ab omnibus eſt. Non ergo hi ſpiritus iam ſunt in carcere, ſed tunc erant, cùm veniens Chriſtus prædicaret eis. Et hactenus quidem de illo Petri loco, quo non facilè reperiatur obſcurior in nouo teſtamento, vt non tam videri velimus certum eius aliquem ſenſum aſtruxiſſe, quam reſtitiſſe illis qui ad Limbum Patrum accommodari poſſe negant, quantumlibet vetuſta authoritate ſenſus ille nitatur.

Fruſtra exagitari locum Lucæ, de Lazaro & Diuite, aduerſus Limbum Patrum. CAPVT XI.

EX Luca, inquis, *afferunt hiſtoriam Lazari & diuitis, cap. 16. qui ſinus illis non cælum, ſed locus aliquis intermedius fuiſſe videtur. Reſpondemus nihil effici eo argumento. Nam magnum* χάσμα *inter electos & damnatos eſſe affirmat*

mat Abraham, ita vt nemo possit vltrò citroq́; transire. Quare potius efficitur ex inferno non esse sperandam liberationem. Deindè procul Abrahamũ vidit; non igitur apud inferos. Hactenus ille.

Antea dictum est Areti, sinum Abrahæ receptaculi non esse nomen, sed quietis eius quæ Abrahæ promissa sit & semini eius: quæ quidem quies & in cælo & extra cælum esse possit. Ideoque si quis argumentetur propterea Lazarum in limbo fuisse, quia fuerit in sinu Abrahæ, nulla is vtetur ex vocabulo quidẽ [sinus] firma collectione. Verum circunstantia temporis suffragante, confici potest argumentum eiusmodi non contemnendum: Eo tempore quo defunctus Lazarus est, hoc est, ante Mediatoris ascẽsum, nondum patebat cælum spiritibus electorum, sed tamen in sinum Abrahæ deportabantur, id est, ad quietem aliquam beatam, quamuis nondum clara Dei visione perfectam: Ergo præter infernum damnatorum & cęlum, debet locus siue status aliquis intermedius constitui, qui commodissimè Limbi metaphora designetur. Hoc igitur argumentum quonam tu modo, Benedicte, refellis? *Nam magnum chasma*, inquis, *inter electos & damnatos esse affirmat Abraham; ita vt nemo possit vltrò citroq́; transire. Quare potius efficitur ex inferno non esse sperandam liberationem.* Certè, inquam, hoc quidem efficitur, nullam esse liberationem ex inferno eo, in quo ille erat damnatus Epulo, siue ex damnatione. Neque enim plus tua illa

verba postulant, quibus ais affirmare Abrahamum, magnum esse chasma inter electos & damnatos, ita vt nemo possit vltrò citroque transire. Sed nondum conuicisti sinum illum, siue quietẽ illam non potuisse esse Lazaro apud inferos. Quamuis enim nulla fuerit expectanda liberatio ex eo damnationis statu, in quo diues Epulo torquebatur, tamẽ potuit ex eo statu sperari liberatio & redemptio plenior, in quo erant Abraham & Lazarus, & quicunque illa secreta quiete fruebantur, adhuc licet apud inferos constituti. *At procul*, inquis; *vidit Abrahamum, non igitur apud inferos*. Quasi non & apud inferos ingẽs sit, vti meritorum, ita etiam statuum conditionumque distantia. Nam si necesse esse statuis vt localis distantia intelligatur, propter quam alter ab altero procul fuerit constitutus, iam oculos quoque corporeos, & linguam, & vocem in diuite Epulone requiram, præsertim cùm scriptum sit, eleuatis oculis vidisse procul Lazarum in sinu Abrahæ. Quæ & si tu corporea poneres in diuite, quęrerem quomodo in cælo situm videre carnis oculis Lazarum potuisset, ipse in inferno sepultus? quomodo item non frustra alloqui, cum sanctos in cælo constitutos audire negetis posse preces & clamores eorum qui in terra versentur? Sin spirituales intelligis oculos, & eleuationem mentis, non carnis, clamoremque non eum qui faucibus corporis, sed desiderij magnitudine ederetur, cur non hic spiritualem quoque distan-

diſtantiam concipias, quæ damnatos pro ſuis meritis non patiatur vllius ſolatij fieri participes? Quam diſtantiam Diuus Ambroſius ſupra citatus expreſſit, cùm ait per illud chaos ſignificatum eſſe merita poſt mortem non poſſe mutari. Quam & D. Hilarius interpretatus eſt, cum ſic commentatur in Pſalm. 51. Non enim, inquit, confeſſio peccatorum, niſi in huius ſæculi tempore eſt, dum voluntati ſuæ vnuſquiſque permiſſus eſt, & per vitæ licentiam habet confeſſionis arbitrium. Decidentes namque de vita, ſimul & de iure decidimus volũtatis. Tunc enim ex merito præteritæ voluntatis lex iam conſtituta, aut quietis aut pœnæ, exceden-tium ex corpore ſuſcipit voluntatem. Cuius temporis non iam liberam, ſed neceſſariam voluntatem oſtendit Propheta dicens: Non eſt mihi in diebus illis voluntas. Ceſſante enim voluntatis libertate, etiam voluntatis, ſi qua erit, ceſſabit effectus. Tranſire namque ad Abraham volens diues, chaos medio non ſinitur, cum tamen per libertatem voluntatis in Abrahæ ſinibus eſſe potuiſſet. Intercluſa eſt ergo libertas voluntatis, quia confeſſio nulla ſit mortuis, ſecundum id quod dictum eſt: In inferno autem quis confitebitur tibi? Hactenus S. Hilarius. Denique cum tu contra Purgatorium diſputãs, non rei geſtæ hiſtoriam, ſed parabolam eſſe dicas, atq; id hoc loco ſic repetas, vt neges omittendum fuiſſe narrationem de diuite & Lazaro parabolam eſſe, idque multos

Lucæ 16.

Pſalm. 6.

etiam Patres agnoſcere,quid tibi nunc in mentem venit, vt tam hiſtoricè localem vrgeas diſtantiam & chaſma locale? Sed nimirum ſic te ſemper ad inſtitutum magis tuum, quam ad veritatem accommodas, & quidquid contra nos facere poteſt,arripis;oblitus etiã quod antè dixeris. Cæterum fac localem intelligi diſtantiam, & chaſma corporeum (nolo enim in eo quibuſdam Catholicis ſcriptoribus aduerſari) cur talè quid apud inferos eſſe non potuit, vt procul poſitum diues cerneret Abrahamum, chaſmaque medium intereſſet, quando ſæpenumero contingit hoc in ampliſſimis illis, vaſtiſſimiſque terrarum voraginibus, vt quamuis intra eiuſdem hiatus ſeu cauitatis ſpatium plures teneantur, tamen alij alios ita ſupra poſitos ſuſpiciant, vt clamore vel maximo vix eorum ferire poſſint aures? Itaque cùm maior multò ſit vaſtitas & amplitudo inferorũ, nihil prorſus impedit, quo minus apud inferos, illud chaſma, & illa intelligatur fuiſſe diſtantia. Tibi verò laborandum erit, vt eſſe voraginem & chaſma doceas inter cælum & infernum, cùm inter hęc continua ordinatiſſimaque interiaceat elementorum diſpoſitio, in qua niſi ineptè, vorago & hiatus intelligi nequit. Nec dici chaſma ſolet, niſi in fiſſuris & interruptionibus, velut cùm quid abruptum perit: Vnde & chaſmaticus dictus eſt terræ motus; eſtq; Lex apud Iurecõſultos, Si qua agri portio chaſmate perijſſet, quid fieri tunc oporteret.

Argu-

Argumentum ex consensu Patrum, aduersus hæreticorum exceptiones defenditur. CAPVT XII.

TAndem ais, *Vrgent nos consensu & authoritate Veterum. Ad quam respondemus; Verum quidem esse à quibusdam affirmari hoc, præsertim à Diuo Hieronymo, qui in caput 13. Ozeæ ad finem, interpretatur vasa desiderabilia, quæ in thesauris inferni detinebantur: Sanctos inquit intelligimus, quos alligatos fortè Dominus eripuit, & rapuit, & tulit de infernis, & quasi vasa præstantissima secum perduxit in paradisum. Et mox ibidem: Terram inferni non debemus accipere esse terram viuentium, sed mortuorum, quæ diripitur & vastatur, quando morte Christi vinctæ apud inferos animæ liberantur. Et epistola 25. Patres ante natum Christum ad inferos descendisse, quia nondum paradisi ianuam Christus effregerat, Nondum flammeam romphæam, & vertiginẽ præsidentium cherubim sanguis extinxerat: Vnde & Abraham licet in loco refrigerij, etiam apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur, &c. Sed meminisse eos decet, eius authoritatem valere, quatenus scripturis nititur: Quatenus verò suas affert rationes, aut suum priuatum iudicium sine scripturis & rationibus firmis, nos non illius teneri præiudicio.*

Laudo Areti, quod tuo instituto tam aptè subseruias. Vt enim vim minueres consensus & authoritatis Veterum, frigidissimè dixisti affirma-

firmari à quibusdam, & præsertim à D. Hieronymo. At alibi cum de Inferni pœnis disputas, quia tunc vsui tibi erat authoritas consensusque Patrum, vrges ipse quoque illum aduersus alios tuos contradictores, quem à nobis contra te vrgeri non pateris.

Ad ista, inquis, *loca inferorum descendisse ante Christi aduentũ etiam patriarchas, & in genere mortales omnes, plerique voluerunt patrum. In qua sentẽtia video Hieronymum esse, qui scribit in epistolam ad Ephes. c. 4. ita: Inferiora autem terræ, infernus accipitur, ad quem Dominus noster saluatorq́ descendit, vt sanctorum animas quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret. Idem in commentarijs super Ecclesiasten cap. 3. ait, Ante aduentum Christi omnia ad inferos pariter ducebantur: Vnde & Iacob ad inferos descensurum se dicit, & Iob pios & impios in inferno queritur retẽtari. Et euangelium chaos magnum interpositum apud inferos, Et Abrahamum cum Lazaro, & diuitem in supplicijs esse testatur. Et reuera antequam flammeam illam rotam, & igneam romphaam ad paradisi fores Christus cum Latrone reseraret, clausa erant cælestia. Et in cap. 9. Ecclesiastes ait, Nota vt Samuelem quoque verè in inferno credas fuisse, & ante aduẽtum Christi, quamuis sanctos, omnes inferni lege detentos. Et epistola. 3. Ante Christum Abraham apud inferos; Post Christum Latro in paradiso.* Hæc tu Areti, eo loco memoria tenes te scripta reliquisse; Vndè colligamus, quo nostra

quo-

quoque caussa abs te firmetur, Diuum Hieronymū non vno loco, nec variè, sed pluribus & constanter, Limbum Patrum astruere: nec aliquos tantummodò Patres duos vel tres; sed plerosque in eadem esse sententia. Cur ergo hic in eo tantum elaboras, vt de D. Hieronymi authoritate satisfacias, quasi is solus ita sensisset? An, cum plerosque Veteres in eadem esse sententia non nescires, vnius Hieronymi ita te terruit authoritas, vt eum solum censeres submouendum? An & de cæteris quoque hoc intelligi voluisti, eorū te non teneri præiudicio, quoniam priuatum suum iudicium, non scripturas secuti sint? Atqui hoc potius existimare te conuenerat, plerosque veteres ecclesiæ Patres, eosdemque diuinarum literarum sedulos tractatores, scripturas intellexisse melius quam te vnū, aut tui similes. Et ideò quia Limbum sine scriptura non affirmant, sed ex varijs scripturarum locis astruunt, non parui ponderis esse tantum consensum persuadere tibi debuisti. Nam & tu ipse alio in loco patrū consensum, quanti facere deberemus non dissimulas, vbi Christi ad inferos descensum probare hoc ipso argumento conaris. *Nam cum videret* (inquis) *Ecclesia, apertè tradi in scriptura descēsum ad inferos, graui consilio tandem hanc clausulam in formulā fidei admisit. Aut dicant illi nobis qua ratione factum sit, vt tāto consensu apud omnes nationes, in omnibus linguis, adeoq; constanter & consentienter recepta sit illa clausula. Impossibile sanè videtur, si error*

hic

hic esset cõmissus, quin aliqui huic se opposuissent malo; non sine concertatione fuisset in vsum recepta: Superessent etiã aliquæ ecclesiæ quæ non agnoscerent; Ideoq; consensus iste, graue est argumentum veritatis. Adde Patrum ferè omnium, licet discrepans, explicatio, tamen concessio est aliquem esse descensum, & secundũ aliquem modum Christum ad inferos descendisse. Hæc tu eo loco. Itaque nunc ex te quæro, vt dicas qua ratione factum sit, vt tanto consensu apud omnes nationes, in omnibus linguis, adeoque constanter & consentiẽter, recepta sit hæc de Limbo sententia, si non eam ecclesia in scriptura sacra traditã animaduerterit? Quî fieri potuit, vt tam grauis error, tanto sit consensu receptus? Cur se huic non aliqui iam olim opposuerunt? Quî factum est, vt sine concertatione in vsum doctrinæ receptus sit? Quæ superfuerunt vnquam ecclesiæ quæ id non agnoscerent? Itaque dicito, Cur secundum tuam ipsius sententiam, consensus iste, non sit graue argumentum veritatis? Forsitan hic excipies Augustinum, quem ais hisce in rebus, suam ignorantiam fateri non erubescere, eiusque hoc nomine modestiam laudas, ac nobis seruandam proponis. Cur ergo ipse eam primus non sequeris? Cur tam petulanter repudias Limbi assertionem vt absurdam, quam ipse non damnauit? Qua fronte te scire præ te fers, cuius ille ignorantiam (vt ais) confessus est? Quid caussæ est, quamobrem tantæ Patrum plerorumque consensioni (vt ipse testis

es) non plus deferas, cui ſcis Auguſtinum plurimum deferre ſolere? Neque enim ignorare te hic dicis, quid ſit de re obſcuriſſima ſentiendum, aut incertum hærere, propter varias ſcripturarum expoſitiones, aut dubitationes aliquorum; ſed quæſtionem hanc pronunciare non dubitas, quæſtum & ſuperſtitionem ſtabilire; eandemque abſurdam; deinde, non neceſſariam; demum, præter ſcripturas eſſe. Non pudet, Areti, modeſtiam ab alijs exigere, quam tu in eo ipſo in quo pręſtari eam vis, tãta hac tua petulantia violaſti? Cur tu, dic rogo, modeſtus es qui ita ſcribis, ego immodeſtus qui contraria pono? Quæſtionem de Limbo nec ſuperſtitionem ſtabilire, ſed conferre ad pietatem; nec ad quæſtum, ſed ad veri cõfirmationem ſpectare: Deinde non abſurdam, quam Veteres omnes, ijque grauiſſimi authores comprobarint: & neceſſariã, quia nec tenuem ſanæ doctrinæ particulam ferẽdum ſit à quoquam expungi: Demum nec præter ſcripturam eſſe, cuius occaſione tractandæ diſcutitur, & luculẽta ſatis definitione terminatur. Nam à tanto cæterorum conſenſu, vnum eximi non debere Auguſtinum, diſcere potueras ex cap. 15. libri 20. de Ciuitate Dei, vbi ait, Non abſurdè credi, antiquos etiam ſanctos qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormẽtis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe; donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret. Vnde etiam animaduertas licet, quàm

tu eius imiteris modestiam. Ille enim dicit, non absurdè hoc credi; tu eam sententiam absurditatis condemnas. Quin & li. 17. cap. 11. de Ciuitate Dei, affirmat sine cunctatione descendisse ad inferos Christum, vt quorundam illic peccatorum vincula dissolueret. Tametsi igitur Augustinus, alijs quibusdam locis operum suorum quæ iunior confecerat, rem hanc nondum sibi omninò perspectam significauisset; tamen non parum nos mouere deberet, quod in libris de Ciuitate Dei, quos & senior & accuratissimè conscripsit, à cæterorum consentienti iudicio sese disiungere noluisset. Sed videamus obsecro quid id sit, quod se ignorare, vt ais, fateri non erubescat Augustinus. *Quod ad locum*, inquis, *Petri attinet, fatetur ignorantiam suam.* Quid tum postea? An consequens est, propterea Limbum Patrum ignorasse, quia nescierit, possétne illo Petri testimonio confirmari? Sunt enim multa certissima, quæ vtrum his aut illis confirmētur scripturæ locis, incertum est. Et Christum quidem ipsum ad inferos descendisse, & apud inferos fuisse, ita non dubitat illa epistola 99. vt dicat: Quis nisi infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum? nimirum ad fidem hoc pertinere significans, de quo tu vt problemate disputas. Deindè (quod ad rem propius facit) quosdam in inferno iustos tunc fuisse, qui adhuc essent à quibusdam suis vinculis exoluendi ac liberandi plenius, ita sine dubitatione sibi persuaserat in eadem epistola,

Paulò post initium.

ſtola, vt ſignificet fruſtra deſcenſurum fuiſſe Chriſtum ad inferos, ſi nulli eorum profuiſſet qui ibi tenebantur incluſi. Quod enim ſcriptum eſt (inquit) in morte Chriſti factum, Solutis doloribus inferni; vel ad ipſum poteſt intelligi pertinere, quod eos hactenus ſoluerit, hoc eſt irritos fecerit, ne ab eis ipſe teneretur, præſertim quia ſequitur: In quibus impoſſibile erat teneri eum. Vel ſi cauſſa quæritur cur voluerit venire in infernum, vbi dolores illi eſſent quibus teneri omnino non poterat, tunc quod ſcriptum eſt; Solutis doloribus inferni, non in omnibus, ſed in quibuſdam accipi poteſt, quos ille dignos iſta liberatione iudicabat; vt neque fruſtra illuc deſcendiſſe exiſtimetur, nulli eorum profuturus qui ibi tenebantur incluſi; nec tamen ſit conſequens, vt quod diuina quibuſdam miſericordia iuſtitiaque conceſſit, omnibus conceſſum eſſe putandum ſit. Poſt hæc vide quid ſubiungat: Et de illo quidem primo homine patre gèneris humani, quod eum ibidem ſoluerit, eccleſia ferè tota conſentit, quod eam non inaniter credidiſſe credẽdum eſt, vndecunque hoc traditum ſit, etiam ſi canonicarum ſcripturarum hinc expreſſa non proferatur authoritas. Quanquam illud quod in libro Sapientiæ ſcriptum eſt: Hæc illum, qui primus factus eſt, patrem orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit & eduxit illũ à delicto ſuo, & dedit ei virtutem continendi omnia; magis pro hac ſententia, quam pro vllo alio intellectu

Inter principium & medium.

Cap. 10.

facere videatur. Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam ſanctis fuiſſe conceſſum Abel, Seth, Noë & domui eius, Abrahã, Iſaac, & Iacob, alijſque Patriarchis & Prophetis, vt cùm Dominus in infernum veniſſet, illis doloribus ſoluerentur. Sed quonam modo intelligatur Abraham in cuius ſinum pius etiam pauper ille ſuſceptus eſt, in illis fuiſſe doloribus, ego quidem non video: explicent fortaſſe qui poſſunt. In his Areti, vel his quæ ignorantię profeſſio eſt? aut quæ dubitationis, de eo quod præcipuè quæritur, ſignificatio? Nam & ſi Abrahamum & Noë, & quoſdam excellẽtiſſimi meriti ſanctos, nõ tunc putarit fortè apud inferos fuiſſe, tamen quin iuſti aliqui apud inferos fuerint Chriſto illuc veniente, quos ſuis doloribus liberarit, minimè profectò dubitauit. Veruntamen neque illud negat; ſed dicit ſe non videre, quonam modo ad eos pertinere potuerit, dolorum ſolutio, propter quam Chriſtus ad inferna deſcẽdit; cum Abrahã & Lazarus in doloribus non fuiſſe videantur, quos exceperat ſecretæ cuiuſdam quietis beata habitatio. Deindè negat videre ſe, quid illis iuſtis, qui in ſinu Abrahæ erant cum Chriſtus in inferna deſcenderet, ſuo hoc deſcenſu contulerit (*quãtum videlicet ad ſolutionem dolorum ſpectat de qua agebatur) à quibus, inquit, eum, ſecundum beatificam præſentiam ſuæ diuinitatis, nunquam video receſſiſſe. Hoc ergo eſt, quod illic Auguſtinus non definit, ſed adhuc diſputando inueſti-

Thomas dicit quod liberarit eos à dolore qui ipſis erat ex dilatione gloriæ, iuxta id quod ſcriptũ eſt Prouerb. 7. Spes quæ differtur affligit animã. parte 3. q. 52. art. 2. ad 2.

** Thomas in 3. parte q. 52. art. 5 ad 1.*

uestigat, sicut & in libris de Genesi ad literã in ea disputatione versatur. In quibus libris plura se quæsisse quam inuenisse * cõfitetur. In Psalmum verò 85. scribens, eumque tractans Psalmi versiculum: Quoniam misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori, pro incerto non habet, quin Dominus ad inferos descenderit, vt omnium sanctorum præcedentium animas indè eruer et: sed de loci infernalis situ, secundum quem superiore in parte esset Abraham cum Lazaro; Epulo verò multò inferiore, id nondum dicit se inuenisse quid statui oporteret. Nec tamen opinionem, more tuo repudiat; Fortassis enim (inquit) apud ipsos inferos est aliqua pars inferior, quo truduntur impij qui plurimum peccauerunt. Etenim apud inferos, vtrum in locis quibusdam fuisset iam Abraham, non satis possumus definire. Nõdum enim Dominus venerat ad infernũ, vt erueret indè omniũ sanctorum præcedentium animas; & tamẽ Abraham in requie ibi erat. Et quidem diues, cùm torqueretur apud inferos, cùm videret Abraham, leuauit oculos; Non enim posset leuatis oculis videre, nisi ille esset superius, ille inferius. Ergo inter ista fortassè duo inferna, quorum in vno quieuerunt animæ iustorum, in altero torquentur animæ impiorum, attendens quidam orans hic iam in corpore Christi positus, & orãs in voce Christi, eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori, dixit, Quia liberauit se à tali-

Lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 33.
** Libro 2. Retractat. cap. 24.*

bus peccatis, per quæ posset deduci ad tormẽta inferni inferioris. Hinc apparet incertum fuisse Augustino, non quin Abraham in inferno fuerit, vbi dicit eum in quiete fuisse: sed vtrum illic fuerit sicut in loco statuque infernali. Quo etiã referri fortasse potest dubitatio Epistolæ 99. Vtrum sinus Abrahæ quoddam inferni membrum fuerit. Ac re vera propriæ significationis ratione, non est Abrahę sinus membrum inferni, cum & modò sinus Abrahæ sit, vbicunque sanctorum animæ requiescunt, expectantes redemptionem corporis sui, ex ea fide per quam Abrahæ filij esse meruerunt. Infernus verò propriè ac per se, locum statumque miseriæ & luctus significat. Ideoque benè dicit Augustinus nusquam poni in bono; propriam videlicet inferni rationem attendens. Quare sicut Deus in inferno est secundum locum non statum, & Christus ad inferna descendit, locum illum ingrediens, non loci tristitiam & luctum suscipiens: Ita Abraham vna cum Lazaro, cæterisque quibus eximiæ sanctitatis testimoniũ scriptura perhibet, in loco quidem illo inferno fuisse; at non secundum propriam infernalis loci statusque rationem concipi ab Augustino potuerit; sicut & Latronis anima, quamuis in loco illo vna cum Christi spiritu fuerit, non tamen ibi proprium loci inferni statum, sed paradisum habuit ex præsentia Deitatis. Quãquam paradisi nomine non necesse sit illam beatitudinem cogitari, aut illam diuinitatis contempla-

Sic interpretatum est D. Thomas Augustini locũ: Quia nomen infernorum (inquit) sonat in malũ pœnæ. parte 3. quæ 52. art. 1. ad 1.

plationem, quæ mundis corde pro fine promittitur, cæleſtibúſque ſedibus reſeruatur. Poteſt enim paradiſum ſpiritualem præſtare, inferior quidam diuinæ præſentiæ modus, quantum ſat eſt ad ſolatium quietis, cum gaudio & optabili quadam felicitate præſtandum. Nam & de Moſe legitur, quod Dominum viderit facie ad faciem. Paulus quoque raptus fuit in paradiſum, & audiuit arcana quæ non licet homini eloqui. Nec tamen illis viris exiſtimandum eſt viſionem illam contigiſſe, quæ iuſtitiæ ſaturitatem & inamiſſibilem felicitatem pręſtans, præmium cuique ſanctorum aliquando futura eſt. *Exod. 33.* *2. Cor. 12.*

Forſitan & Tertullianum nobis obieciſſes, ſi legiſſes, Cuius verba ſunt: Aliud (inquit) inferi vt puto, aliud quoque Abrahæ ſinus; Nam & magnum, ait, intercidere regiones iſtas profundum, & tranſitum vtrimque prohibere. Sed nec alleuaſſet Diues oculos, & quidem de longinquo, niſi in ſuperiora, & de altitudinis longinquo per immenſam illam diſtantiam ſublimitatis & profunditatis. Vndè apparet ſapienti cuique, qui aliquando Elyſios audierit, eſſe aliquam localem determinationem, quæ ſinus dicta ſit Abrahæ, ad recipiendas animas filiorum eius, etiam ex nationibus, Patris ſcilicet multarum nationum in Abrahæ cenſum deputandarum, & ex eadem fide, qua & Abraham Deo credidit, nullo ſub iugo legis, nec in ſigno circuncíſionis. Eam itaque regionem ſinum dico Abrahæ, & non cæleſtem, ſublimiorem *Libro 4 cōtra Marcionem.*

rem tamen inferis; interim refrigerium, præterea animabus iustorum, donec consummatio rerum resurrectionem omniũ plenitudine mercedis expungat. Et infra: Si æternus locus repromittetur, & ascensus in cælum ædificatur à creatore promittente etiam semen Abrahæ velut stellas cæli futurum, vtique ob cælestem promissionem, salua ea promissione, cur nõ capiat sinũ Abrahæ dici, temporale aliquod animarum fidelium receptaculum, in quo iam delinietur futuri imago, ac candida quædã vtriusque iudicij prospiciatur. Hæc Tertullianus. Verum & ille tibi, vt cernis, aduersatur, qui Abrahamum cum Lazaro in cælesti regione fuisse neget; Quamuis sublimiorem inferis localem determinationem existimet fuisse Abrahæ sinum, sed ijs inferis apud quos diuersabatur epulo: Nam in libro de resurrectione carnis, Abrahamum & Lazarum apud inferos scribit fuisse. Nisi magis hoc intelligendum sit existimasse Tertullianum, sinum Abrahæ totis inferis fuisse contiguum à parte superiore. Quod imaginari videntur multi, qui inferni Limbum appellant, quomodo vestium limbos dicimus, quæ neque propriè vestium partes sunt, ad earum integritatem pertinentes, & tamen adhærent certoque nexu iunguntur. Cum ergo hæc illi ad istũ modum scribant, quem tandẽ nobis Veterũ ab illa cõcordia separabis? Authorémne expositionis Symboli, quæ sub nomine Cypriani inter eius opera falsò recẽsetur? Videlicet

quia

quia dicat in ecclesiæ Romanæ symbolo nō haberi additum: Descendit ad inferna: Sed neque in Orientis ecclesijs haberi hunc sermonē. Vim tamen verbi eandem videri esse, in eo quod sepultus dicitur. Et tamen in eadem expositione symboli, vide quid author ille scribat, & animaduerte cum cęteris in quadam discordiæ specie quam pulchrè concordet: Redijt, inquit, victor à mortuis, inferni secum spolia trahens: Eduxit enim eos qui tenebantur à morte, sicut & ipse prædixerat vbi ait: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham. Attestatur autem euangelium de hoc cum dicit: quia monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt & apparuerūt multis. Rursumque in eodem libro: Consummatis (inquit) his, quæ in terra gerebantur, & animabus de inferni captiuitate reuocatis, ascendere memoratur ad cælos, sicut propheta prædixerat: Ascendēs in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, illa scilicet dona quæ Petrus in Actis Apostolorum de Spiritu sancto dicebat; Exaltatus ergo dextera Dei effudit hoc donum, quod vos auditis & videtis. Donum ergo spiritus sancti hominibus dedit, quia captiuitatem quam prius diabolus per peccatum deduxerat in infernum, Christus per mortis suæ resurrectionē reuocauit ad cælum. Nec verò, quod de ecclesiæ Romanæ symbolo, aut ecclesiarum Orientalium dicit, ad symbolum Apostolicum referendum

Ioann. 12.
Matth. 27.
Paulò post.
Psalm. 67.
Actuum 2.

eſt, quod à ſuis authoribus hoc eſt Apoſtolis ſine hoc articulo deſcenſus ad inferos nunquam eſt profectum; ſed ad ea ſymbola quæ poſtea in eccleſijs condita ſunt, pro natis occaſionibus (velut in Synodo Romana ſub Iulio, in Nicæna ſub Siluestro; & in Antiochena, Sardicenſi, Syrmienſi, quarum ſymbola à Diuo Hilario referuntur in libro de Synodis) vbi prolixius explicatis ijs, quæ ad hęreſes illorum temporum confutandas pertinebant, cætera omnia de quibus nulla tum mouebatur quæſtio, expreſsè repeti non neceſſe eſſe putabatur; præſertim, quia vel ex reſurrectione à mortuis tertia die, vel ex ſepultura & morte, deſcenſus ad inferos, qui mortem communi lege comitabatur, facilè poſſet cogitari: proptereaque dixit author ille, vim verbi eádem videri, in eo quod ſepultus dicitur: non quia (vt videtur nonnullis) Infernus pro ſepulchro ponatur, aut ſepulchrum ſignificet, ſed quia hæc reipſa ita coniuncta erant, hoc eſt ſepultura ſecundum corpus, & deſcenſus ad inferos ſecundum animam, vt alterum in altero ſoleret intelligi; quomodo & in paſſione crucem, & in cruce mortem, alij intelligendam cogitandamque reliquerunt. Nam quod in infernum Chriſtus ſecundum animam deſcenderit, dicit ille author, euidenter prænunciatum in pſalmis, vbi ſcriptum eſt: Et in puluerem mortis deduxiſti me. Et iterum: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Et iterũ: Deſcendiſti

disti in limum profundi, & non est substantia. Hisque adiungit Petri locum; Et eis qui in carcere inclusi erant in diebus Noë; In quo etiam inquit, quid operis egerit in inferno, declaratur. Et multis interiectis, illas quoq; scripturas profert: Domine eduxisti de inferno animã meam, saluasti me à descendentibus in lacum. Et illam: Quoniam conuersus viuificasti me, & de abysso terræ iterum reduxisti me. Euidentissimè autem (inquit) in octuagesimo & septimo Psalmo dicitur de eo: Et factus sum sicut homo inter mortuos liber sine adiutorio; non dixit, homo, sed sicut homo. Sicut homo enim erat, quia etiam descenderat in infernum: sed inter mortuos liber erat, quia à morte teneri nõ poterat. Hæc ille ex scripturis de Christi ad inferos descensu; & quid illic egerit, secundum animam. At erit forsitan qui nobis Chrysostomum diuellere conetur ab hac Patrum concordia, propterea quod in Matthæum scribens, tractansque illud quod narratur ab Euangelista, apertos esse Christo cælos; Vis, inquit, manifestè scire, quoniam ante Christum, cæli si aperiebantur iterum claudebantur. Nam iusti quidem forsitan ascendebant in cælum; peccatores autem nequaquam. Ideo autem dixi, forsitan, ne quibusdam placeat & ante aduentum Christi, iustorum animas ascendere potuisse in cælum. His verbis quid aliud loquitur Chrysostomus, quam nondum certam sibi fuisse huius nostræ sententiæ veritatem? Verùm meminisse *Matth. 3.*

oportet Catholicorum nos doctorum vrgere consensum: quo in numero non esse illum commentarij in Matthæum imperfecti scriptorem, vndè superiora verba prolata sunt, apertus eius Arrianismus testabitur, quem varijs locis inspersum in antiquioribus exemplaribus videre licebit. Veruntamen ne illum quidem dissentientem habemus, qui suam sententiam aperiens, post illa verba continuò subiunxerit: Alioqui nullam animam ante Christum arbitror ascendisse in cælum, ex quo peccauit Adam, & ei clausi sunt cæli; sed omnes in inferno detentas; propter quas etiam descendit ad inferiores partes terræ: Sicut ipse in Sapiētia dicit; Descendam ad inferiores partes terræ, & visitabo omnes dormientes, & illuminabo sperantes in Deum. Animaduertis & illum commentarium, ad veterum Catholicorum concordiam accedere, tametsi alias in multis grauibúsq; erratis deprehensum. Exurgit & alius qui dicat, Damascenum cum in hoc argumēto versaretur, nihil ausum esse definire. Vide, inquit, quo nos cursu suo sermo produxit, dum rem quam propè occultam esse oportebat, soluere & dijudicare auxilio Dei conamur. At nos (indignú enim foret) definimus nihil; tantum fraternitatis studio ratiocinamur. Cæterum húc Damascenum de eo quod agitur, velle dubium & incertum efficere, id quidem operam perdere est. Cum enim de liberatis per Christi descensum animabus duo dicat; alterum eos qui fideles

In oratione qua declarat, mortuos viuorum suffragijs iuuari.

fideles hic fuiſſent, eductos eſſe; alterum, eos etiã liberatos, qui hic ſine fide ſobriè continenterque vixiſſent: prius quidem illud pro indubitato confirmat; poſterius verò, non credere ſed opinari, nec definire ſed diſputare magis ſe dicit. Quamuis enim (inquit) ita dicat Propheta; In inferno quis confitebitur tibi? omninò tamen in inferno aliqua confeſſio fuit; eorum, inquam, qui in ſalutarem Domini deſcenſum crediderunt. Chriſtus enim aſſertor vitæ, non ſimpliciter omnes, ſed eos tantum qui crediderant, vt dictum eſt, ſaluauit. Et quinam ante nos crediderunt? Patres & Prophetæ, Iudices Reges & Præſides, alijq; ex Hebræorum gente in magno numero, & noti omnibus. Oportebat ergo omnes huiuſmodi, per deſcenſum Dei & Domini noſtri, ab inferni vinculis liberatos ſaluari: quod & illius prouidentia factum eſt. Hoc igitur eſt de quo Damaſcenus minimè dubitat. Conſequentibus verò verbis, quid duntaxat opinetur expreſſit. Solius, inquit, miſericordię gratia ſaluatos opinor omnes, qui in vitę puritate nullum nõ perfecerunt opus bonum, continenter, ſobriè tenuiterque viuendo; licet minus ſatis exercitati, fidẽ diuinam ac ſincerã non acceperint: Aliaq; multa ſubiungit in eam ſententiam. Verùm libro quarto de Orthodoxa fide, cap. 29. (vndè non iniuria videri poſſit, ſermonem illum non eſſe Damaſceni) docet Chriſti animam ad inferos vſque penetrantem, his quidem qui in terra crediderãt ſaluti fuiſſe;

illis verò qui non crediderant, improperio & redargutioni. Descendit, inquit, ad infernum anima deificata, vt quemadmodum ijs qui in terra, iustitiæ ortus est sol; sic & ijs qui sub terra in tenebris & vmbra mortis sedebāt, lux infulgeret: & vt quemadmodum in terra euangelizauerat pacem, captiuis remissionem, cæcis visum, & ijs qui crediderunt factus est caussa salutis æternæ, incredulis autem infidelitatis improperium & redargutio; sic & ijs qui in inferno, vt ipsi omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum: atque hoc pacto à sæculo compeditos soluens, rursus ex mortuis redijt, nobis viā parans ad resurrectionē. Hactenus Damascenus. Itaque iam, Areti, quantus sit hac in re Patrum consensus, vides. Tantus enim est, vt quem hinc reuellas, reperire non possis: tantus omninò est de Limbo patrum consensus, quantus & de descensu Christi ad inferos, quem tu propter consensum Patrum negare non audes: tantus denique in id est Patrum consensus, vt propterea publicis hymnis atque carminibus in ecclesia celebretur, iamque olim celebratum sit. Inde enim illa sunt.

Ex Hymno D. Ambrosij.

Inferni claustra penetrans,
Tuos captiuos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dextram Patris residens.

Inde & illa Lactantij Firmiani, in carmine de Resurrectionis Dominicæ die:

Solue cathenatas inferni carceris vmbras.
Et reuoca sursum, quicquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem, videant vt sæcula lumen,

Redde

Redde diem, qui nos te moriente, fugit.
Sed planè impleſti, remeaus piè victor, Olympum;
Tartara preſſa iacent, nec ſua iura tenent.
Inferus inſaturabiliter caua guttura pandens,
Qui raperet ſemper, fit tua præda Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis;
Et ſequitur liber, quo ſuus author abis.
Euomit abſorptam pauidè fera bellua plebem;
Et de fauce lupi ſubtrahit agnus oues.
Hinc tumulum repetens poſt tartara carne reſumpta,
Belliger ad cælos ampla trophæa refers.
Quos habuit pœnale chaos, iam reddidit iſte,
Et quos mors peteret, hos noua vita tenet.

Hoc verò ita eſſe, vſque adeò inconcuſsè Veteres tenuerunt, vt id ſumerent in argumentum diuinitatis Chriſti. Ex quo & illa ſunt apud Prudentium in Apotheoſi.

Hunc ego non cumulem, myrrhæq; & thuris, & auri — *Paulò poſt medium.*
Muneribus? ſcio quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non venerer: qui, cælo viſus, humiq;
Inuentus Rex, atque Deus, moderatur vtrumque
Naturæ ſpecimen, tumuloque inferna refringens
Regna, reſurgentes ſecum iubet ire ſepultos?
Cælum habitat, terris interuenit, abdita rumpit
Tartara. vera fides, Deus eſt, qui totus vbique eſt.

Et infra:

Totum hominem Deus aſſumit: quia totus ab ipſo eſt.
Et totum redimit quem ſumpſerat, omne reducens
Quidquid homo eſt, iſtud tumulis, aſt illud abyſſo.

Quin & Arriani cum nollent filium conſubſtantialem & æqualem dici patri, ſed ſimilem; idque in ſymbolo expreſſiſſent quod apud Syrmium præſente Conſtantino ediderunt, ne tamen nihil magnum viderentur Chriſto tribuere, in eodem ſymbolo, præter morem Orientalium ſymbolorum quæ ab Hilario referuntur, poſuerunt & deſcenſum ad inferos; quem

ſic

ſic expreſſerunt. Hunc nouimus vnigenitum eius filium, nutu paterno veniſſe de cælis ad deſtructionem peccati; & natum ex Maria virgine, & ſecundum paternam voluntatem crucifixum, & mortuum, & ad inferos deſcendiſſe, & quæ ibi erant dipenſaſſe, quem ianitores inferni videntes expauerunt, & die tertia reſurrexiſſe. Hoc igitur Arriani, quoniam ſciebant in confeſſo eſſe apud omnes, vt inuidiam, quam ſe de Chriſti diminutione pati non ignorabant, temperarent, expreſsè in ſuo ſymbolo ponendum eſſe putauerunt; vt catholica hac confeſſione quę ſatis de Chriſto magnifica videretur, nonnullam errori ſuo apud ſimpliciores vmbram facerẽt. Nec ſcio vtrum vlla hæreſis olim hoc è ſymbolo fidei putauerit eſſe ſubmouendum; niſi fortè Apollinariſtas id facere neceſſe fuerit, propterea quod animam Chriſto detraherent. Sed inueniſſent, opinor, illi quoq; interpretandi rationem aliquam, potius quam primum illud eccleſiæ traditum fidei ſymbolum, vnius articuli detractione mutilarent. Nam quod hoc additum ſymbolo, idque à recentioribus quidam ſuſpicentur, & forſitan à D. Thoma (quam ſuſpicionem Eraſmus iniecit) abſurditatem habet non ferendam. Vndè enim niſi ex prima fidei regula, tantus omnium Veterum, eorumq; ipſorũ qui haud procul ab Apoſtolicis temporibus vixêre cõſenſus? Vndè eius meminiſſent Epheſini concilij Patres, in explicatione fidei ſuæ? Vndè id antea D. Athanaſius, ſuo

Catecbe. 4.

ſym-

ſymbolo inſeruiſſet? Vndè hoc ipſum Ruffinus legiſſet in ſymbolo eo, quod à maioribus pro Apoſtolico ſymbolo traditú eſſe teſtatur? Vndè hoc tranſtuliſſent in profeſſionem fidei ſuæ, Toletani concilij quarti, hoc eſt, totius Hiſpaniæ & Galiciæ Patres, circa tempora Honorij Papæ primi? Aiunt enim; Secundum diuinas ſcripturas, & doctrinam quam à ſanctis Patribus accepimus. Ac poſtea, ſymbolum percurrentes: Deſcendit (inquiunt) ad inferos, vt ſanctos qui ibi tenebãtur erueret; & deuicto mortis imperio reſurrexit. Pauloque poſt: Hæc eſt (aiũt) Eccleſię catholicæ fides: Hanc confeſſionẽ ſeruamus atq; tenemus. Iam autẽ, quiſquis vel mediocri prudentia præditus eſt, intelligit quam rationi conſentaneum ſit, vt quibus authoribus hunc eſſe fidei catholicæ Chriſtianique ſymboli articulum credimus, iiſdem de eius ſenſu atque interpretatione credere debeamus.

Abſurdè ſtatui Chriſti animam vno duntaxat die apud inferos fuiſſe, propter id quod dictũ eſt Latroni; Hodie mecum eris in paradiſo. CAP. XIII.

SEd præclarũ eſt, quod tu inter extrema ponis; *ex deſcenſu Chriſti ad inferos, non poſſe Limbum confirmari. Id vel inde conſtare, quia Chriſtus in cruce Latroni reſpondet; Hodie mecum eris in paradiſo: Notum autem eſt*, inquis, *Non eadem die Chriſtum reſurrexiſſe. Quare*

friuo-

friuolum eſt, Chriſtum reſurgendo, tandem primum ingreſſum cælos, & ſecum pompam Patrum deduxiſſe.

Quid ſibi iſta, rogo te Areti, volunt? quid concludunt? Primum, vt tibi demus, Chriſtum ſecūdum animam eodem die cælos ingreſſum: ſaltem fateberis, quod apud inferos aliquantiſper ſecundum eandem animam fuerit; neque id fruſtra; ergo propter electos; quia fruſtra propter reprobos & damnatos. Statueremus ergo Limbum ex deſcēſu, etiam ſi id verū eſſet quod dicis, Chriſtum eodem die ſecundum animam in cælum ſubuolaſſe. Quare tua iſthæc infirma omninò collectio eſt. Quale verò id vnde ſic colligis? Non enim ſolum infirma vteris concluſione; ſed abſurdum etiam id eſt, ex quo ad eum modum concluditur; Nempe, Chriſtum ſecundum animam ante diem tertium in cælum eſſe profectum: Sequitur enim quod in cælum aſcenderit Chriſtus priuſquam reſurrexerit; cum in ſymbolo Apoſtolico hic ordo ſeruetur: Tertia die reſurrexit à mortuis, Aſcendit in cælos: Tuque ipſe annotes, ea quæ in ſymbolo fidei expreſſa ſunt, eo ordine intelligi debere geſta, quo ſunt expreſſa. *Nam in ſymbolo, inquis, hic ordo ſeruatur, vt quæ tempore præceſſère, tempore ſuccedant, quod Chriſti perſonam dico attinet.* Hoc tu in eo loco, qui eſt de deſcenſu ad inferos. Quod ſi neges cōſequi, aſcendiſſe propterea Chriſtum in cælum, quia illuc ſecundum animam ierit; Quæro abs te, cum ſit

anima

anima multo præstantior corpore, eaque portio vnde propriè hominem æstimare debeamus, cur non potius dicendus est ascendisse in cælum propter animam, quam propter corpus? Ac sepultus quidem esse dicitur filius Dei, propter solum corpus. Quare & ascendisse verè dicetur propter solam animam; cùm tamen ipse dicat Magdalenæ; Noli me tangere, Nondum enim ascendi ad Patrem meum. Rursum, si ascendit secundum animam, priusquam secundum corpus; ergo iterum descendit è cælo, vt secundum animam corpori iungeretur, totusque postea posset in cælum ascendere: Aut manente in cælo anima, nec resurrexit Christus tertia die, ad veram scilicet hominis vitam, quæ esse in corpore sine anima non potest; soloque in cælum corpore sublatus est. Sed quid etiam illa sibi vult scriptura; Quemadmodum Ionas fuit in ventre cæti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ? An ergo secundum corpus suum in corde terræ per triduum hæsit? Et sepulchrũ eius in superficie terræ, an in ipsis terræ visceribus intimisque & profundissimis partibus constructũ est? Hoc si absurdè statuitur, ergo secundum animam suã in corde terræ tridui spacio fuisse credendus est. Quod sanè sic esse, ex antiquissima regula fidei Veteres astruxerũt. Irenęus aduersus hæreses, in fine totius operis, non minus aduersum vos, quam aduersus suæ ætatis hæreticos disputãs; Quia, inquit, vniuersam reprobant

Ioann. 20.

Matth. 12.

Cap. 31. secundum nouam edit.

resurrectionem, & quãtum in ipsis est auferunt eam de medio, quid mirum est, si nec ordinem resurrectionis sciũt, nolentes intelligere. Quoniam si hæc ita essent quemadmodum dicunt, ipse vtique Dominus, in quem se dicunt credere, non in tertia die fecisset resurrectionem, sed super crucem expirans, confestim vtique abijsset sursum, relinquens corpus terræ. Nunc autem tribus diebus conuersatus est vbi erant mortui, quemadmodum prophetia ait de eo: Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terram sepelitionis, & descendit ad eos extrahere eos, & saluare eos. Et ipse autem Domi-
Matth. 12. nus: Quemadmodum, ait, Ionas, in ventre cæti tres dies & tres noctes mansit, sic erit filius ho-
Ephes. 4. minis in corde terræ. Sed & Apostolus ait: Ascendit autẽ, quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ? Hoc & Dauid in eum prophetans dixit: Et eripuisti animam meam ex inferno inferiori. Resurgens autem tertia die, & Mariæ quæ se prima vidit & adorauit, dicebat:
Ioann. 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: sed vade ad discipulos, & dices eis; Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. Si ergo Dominus legem mortuorum seruauit, vt fieret primogenitus à mortuis, & commoratus vsque ad tertiam diem in inferioribus terræ, post deindè surgens in carne, vt etiam figuras clauorum ostenderet discipulis, sic ascendit ad Patrem, quomodo non con-

confundentur, qui dicunt inferos quidem esse hunc mundum, qui sit secundum nos, interiorem autem hominem ipsorum, derelinquentem hic corpus, in supercælestem ascendere locum? Cùm enim Dominus in medio vmbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erãt; post deindè corporaliter resurrexit; & post resurrectionem assumptus est, manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum, definitum eis à Deo. Hęc S. Irenæus vetustissimus author, Christi ad inferos descensum ijs verbis cõprobans, quæ de Hieremiæ prophetia resecata à Iudęis, & erasa esse Iustinus Martyr Dialogo cõtra Triphonem conqueritur. Ex Hieremiæ similiter dictis (inquit) ista resecuerũt: Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israhel, qui obdormierunt in terra aggeris, & descendit ad eos vt euangelizaret, lætoque eis nuncio significaret salutare suum. Irenæo & Diuũ adiungam Fulgentium ex eo libro, in quo ad Petrum diaconumq; scribens, fidei regulas se tradere profitetur; ideoque & librum ipsum de fide inscripsit. Eius ergo libri c. 2. sic scriptum reliquit: De matris (inquit) vtero, idem Deus homo factus exiuit, & in cruce idem Deus homo factus pependit, Et in sepulchro idem Deus homo factus iacuit, & ab inferis idem Deus homo factus tertio die resurrexit; Sed in sepulchro secũdum solam carnem idem Deus iacuit, & in infer-

num secundum solam animam descendit, qua de inferis ad carnem die tertia reuertente, idem Deus secundum carnem, quæ in sepulchro iacuit, de sepulchro resurrexit. Colligit hoc ipsum D. Leo ex illis verbis; * Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: His enim vtique verbis, manifestum est (inquit) quod caro Domini & verè sepulta requieuit, & corruptionem non subijt; quia celeriter viuificata reditu animæ resurrexit. Quid? quod ipsa Dominica resurrectio, non modò secundum carnem è sepulchro, verùm etiam secundum animam ex inferis intelligenda est. Hoc enim in Actis Apostolorum B. Petrus significat cum ait; Quē Deus suscitauit, solutis doloribus inferni. Hoc & S. Hilarius insinuat, enarrans Psalm. 54. Non relicto, inquit, in fluctuatione iusto, illi in puteum interitus deducentur, cuius os clausum, resurgēte ex inferis vnigenito Deo esse non potuit. Hoc ipse quoque Lactantius (quoniam ea communis erat Christianorum fides) sic accepit: Quoniam (inquit) prædixerat Dominus, se tertio die ab inferis resurrecturum: Et infra: Illum autem apud inferos non remāsurum, sed tertio die resurrecturum, Prophetæ cecinerant. Dauid in Psalmo 15. Non derelinques animam meam apud inferos; nec dabis sanctum tuum videre interitum. Item in tertio: Ego dormiui, & somnum cœpi, & resurrexi: quoniam Dominus auxiliatus est mihi.

Epist 93. cap 17.

* Psal. 15.

Act. 2.

Libro 4. cap. 19.

Osæas quoque primus duodecim prophetarũ, de resurrectione eius testificatus est: Hic filius meus sapiens; propter quod nunc resistet in contribulatione filiorum suorum; & de manu inferorum eruam eum. Vbi est iudicium tuum mors, aut vbi est aculeus tuus? Idem alio loco; Viuificabit nos post biduum, die tertio. Hæc Lactantius Cyprianum imitatus, qui Libro aduersus Iudæos secundo, docet ab inferis resurrecturum fuisse Christum die tertio, tum ex Ozæe cap. 6. tum ex illo Ionæ signo, qui in ventre cœti, diebus tribus & noctibus fuit. Vnde & S. Leo, resurrectionem Dominicam secundum vtriusque partis locum intelligens, sic ait: Resurrectio saluatoris, nec animam in inferno nec carnẽ diu morata (siue morari passa) est in sepulchro. Quo etiam modo intelligunt Veteres, resurrexisse à mortuis Dominũ. Non enim dicitur, Resurrexit à morte; sed, Resurrexit à mortuis: quia videlicet postquam ad mortuos descendisset, ab his rursum ascẽdens, corpore quoque è sepulchro surrexit, idque die tertia. Nam quemadmodum S. Irænеus loquitur, tribus diebus conuersatus est vbi erant mortui; & hoc procul dubio, secundum animam suam. Cum igitur Christiana teneat fides Christum die tertia resurrexisse, non id modò referendũ ad corpus est, quod sit die tertia erectum è sepulchro; verum ad animam quoque ipsam; quæ ex inferis reducta ad corpus, beatam illi suo consortio præstiterit immortalitatem.

Cap. 24.

Serm. 1 de Resurrect. Domini.

tem. Sed in aduersum errorem Aretium impulit, non intellectus scripturæ locus; Hodie mecum eris in paradiso. Quia enim paradisum, sine cælesti domicilio concipere non potuit, consequens esse putauit, eadem die Christum secundum animã in cælum ascendere debuisse, si prestare vellet quod promiserat; Hodie mecum eris in paradiso. Cui legendus fuerat Augustinus li. 12. de Genesi ad literam c. 34. Quo loco, si propriè (inquit) Paradisus, locus, quidam est nemorosus: translato autem verbo, omnis etiam spiritalis quasi regió vbi animæ benè est, meritò paradisus dici potest; non solum tertium cælum quicquid illud est, verumetiã in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Vnde & ecclesia in sanctis temperanter & iustè & piè viuentibus, paradisus rectè dicitur, pollens affluentia gratiarum castisque delicijs. Quãto magis ergo post hanc vitam, etiam sinus ille Abrahæ paradisus dici potest, vbi iam nulla tentatio, vbi tanta requies post omnes dolores vitæ huius? Sic Augustinus: Vnde intelligimus nihil vetare quin dicamus Patriarcharum quidem animas fuisse in sinu Abrahæ, & in paradiso, in quo & Latronem futurum eodem secum die Christus fuerat pollicitus: sed tamen ante ascensum Christi in cælum, nondum quemquam istorum fuisse in tertio cælo, hoc est in paradiso meliore & multo perfectiore, & si dici oportet, Paradiso paradisorum: Neque enim esse potest, quicquam

quam ea lætitia præstantius, quæ capitur ex verbi Dei non qualicumque præsentia, sed per omnia beatifica, hoc est, clara illa, qua sicuti in seipsa est videatur, contemplatione diuinitatis. Quæ tamen tanta diuinæ contemplationis excellentia, etiam si putetur Latroni mox esse concessa, ne tum quidem concludi potest eodem illo die Latronis animam in cælum subuectam fuisse, non ad inferos descẽdisse. Quoniam ab illo paradiso excellẽtiore nunquam recessit Dei filius (inquit Augustinus) quamuis à Iudæis per susceptam carnem tanta pateretur. Quid autem est vnde nunquam recessit Dei filius, nisi diuinitas, hoc est natura patris & sua, cuius contẽplatione beatus & ipse semper fuit? Deus enim seipso non aliundè beatus est: nos verò illius efficimur participatione beati. Hoc itaque Latroni dicitur; Eris eò beatus quo ego sum & nũquam esse desij, idque tibi paradisus erit, quod mihi & modo est in hac cruce & semper fuit paradisus. Lib. 2. q. euãg. c. 38. & epist. 57.

Hactenus de Limbo.

TERTII LIBRI FINIS.

VETERVM PATRVM AVTHORITATES, QVIBVS CONSENSUS eorum de Patrum Limbo declaratur: partim, eò quod animas, etiam sanctorum, ante Christi mortem, non in cælum admissas fuisse, sed ad infernum descendisse dicant; partim quia Christum ad inferos descendisse affirment, vt piorũ animas inde liberaret.

Et primum

Testimonia quibus sanctorum etiam animas, ad infernum descendisse ante Christi aduentum, asserunt.

Citatur supra pag. 357. & 358.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem.

ALiud inferi vt puto, aliud quoque Abrahæ sinus. —— Eam itaque regionem sinum dico Abrahæ, & non cælestem, sublimiorem tamen inferis, &c.

Athanasius in psalm: 138. ad illud; Si descendero in infernum ades.

Humana ista lex necessitatis est, vt sepultis corporibus, ad inferos animæ descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusauit.

Ambrosius lib. 4. de Fide ad Gratianum c. 1.

305. *Licet corpus Mosis non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria cælesti legimus.*

Et in cap. 5. ad Rom. ad illud. Sed regnauit mors.

Abraham quamuis apud inferos fuerit, discretus tamen erat longo interuallo, ita vt chaos esset ingens inter iustos & peccatores.

Chrysostomus hom. 15. in epist. ad Hebræos.

309. *Hoc significante spiritu sancto, nondum manifestam esse sanctorum viam. Propterea inquit ista ita constructa sunt, vt discamus quia sancta sanctorum, hoc est, cælum adhuc est inaccessibile.*

Author operis imperfecti apud Chrysostomum hom. 5. in illud Matthæi 3. Aperti sunt ei cæli.

Nullam animam ante Christum arbitror ascendisse in cælum, ex quo peccauit Adam, & ei clausi sunt cæli; sed omnes in inferno detentas: propter quas etiam descendit in inferiores partes terræ.

Homil 4. in Marcum, inter opera Chrysost.

Ante aduentum saluatoris & euangelij charitatem, antequam Christus aperiret paradisi ianuam, cum Latrone omnes sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Si Abraham ad inferos, quis non ad inferos?

In

In lege Abraham apud inferos: in euangelio Latro in paradiso. Citatur
Sumpta sunt ex Hieron. supra pag.

Hieronymus, epist. 3. quæ est ad Heliodorum.

Ante Christum Abraham apud inferos: post Christū Latro in paradiso. 348.

Epistola 25. quæ est ad Paulam, de obitu Blesillæ, circa medium.

Luxit Iacob filium quem putabat occisum, ad quem & ipse erat ad inferos descensurus, quia necdum paradisi ianuam Christus effregerat; Vnde & Abraham licet in loco refrigerij, tamen apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur. 347.

Epistola 127. ad Fabiolam, de 42. mansionibus mans. 34.

In lege descensus ad inferos; in Euangelio ad paradisum transmigratio.

Epist. 129. ad Dardanum, longe post initium.

Ante aduentum in carne Domini saluatoris, nec Abraham & alij iusti viri, terram viuentium consequi potuerunt. Et Abraham cum Lazaro videtur apud inferos.

In caput 3. Ecclesiastes.

Ante aduentum Christi, omnia ad inferos pariter ducebantur, &c. 348.

In caput 9. Ecclesiastes.

Nota, vt Samuelem quoque verè in inferno credas fuisse; & ante aduentum Christi, quamuis sanctos, omnes inferni lege detentos. 348.

Augustinus lib. 20 Ciuit. cap. 15.

Non absurdè credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi & ad ea loca descensus erueret. 351.

Petrus Chrysologus, serm. 123.

Iustos etsi discretio locorum, vna tamen inferni adhuc regio continebat. Et multa quæ sequuntur.

Gregorius lib. 4. Moral. cap. 27.

Priusquam redemptor noster, morte sua humani generis pœnam solueret, eos etiam qui cælestis patriæ vias secuti sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt. Non vt pœna quasi peccatores plecteret, sed vt eos in locis remotioribus quiescentes (quia necdum intercessio mediatoris aduenerat) ab ingressu regni, reatus primæ culpæ prohiberet.

Citantur eadem verba ab Anselmo in illud. 2. Cor. 5. Scimus quoniam si terrestris. Vide supra pag. 312.

Idem Greg. lib. 29. Moral. c. 7.

Profundum maris ante redemptoris aduentum non via sed carcer fuit, quia in se etiam bonorum animas, quamuis non in locis pœnalibus, clausit.

Citatur supra pag. Theophilactus in cap. 15. Marci ad illud, Pater, in manus tuas com.

Hoc beneficium Christi est, quod nunc sanctorum spiritus in manus patris ascendunt, qui olim ab inferno tenebantur; donec veniret qui praedicauit captiuis remissionem.

Bernardus serm. 4. de omnibus sanctis.

305. *Prouidebat eis* (sanctis veteris testamenti) *Dominus in inferno ipso locum quietis & refrigerij; chaos magnum firmans inter sanctas illas animas, & animas impiorum. Quamuis enim vtraeq; in tenebris essent, non vtraeq; erant in poenis.*

Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 16.

Nulla anima ante mortem Christi, paradisum caelestem ingredi potuit.

Idem in cap. 9. ad Hebraeos.

309. *Ante saluatoris ascensionem, caelum fuit inaccessibile sanctorum animabus.*

Haimo in cap. 9. ad Hebraeos.

Caeleste regnum inaccessibile erat adhuc mortalibus, quoad vsque veniret Christus, qui expleta passione sua aperiret nobis ianuam patriae caelestis.

TESTIMONIA VETERVM QVIBVS CHRISTI PROBATVR ad inferos, hoc est, ad Limbum, descensus, vt indè iustorum animas liberaret.

GRAECI

Symbolum Apostolorum.

Descendit ad inferos.

Ignatius epistola 2. quae est ad Trallianos.

Descendit ad inferos solus; ascendit verò cum multitudine.

Irenaeus lib. 5. contra haereses cap. 39.

326. *Propter Prophetas & iustos descendit Christus in inferiora terrae; sicut Hieremias ait, Recommemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, & ascendit ad eos vt euangelizaret eis salutare suum, & saluaret eos.*

Et in fine lib. 5. siue secundum postremam edit. lib. 5. cap. 31.

396. & sequẽt. *Tribus diebus conuersatus est vbi erant mortui, quemadmodum propheta ait de eo, Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terra sepelitionis, & descendit ad eos, extrahere eos & saluare eos.* &c.

Origenes hom. 15. in Genes. sub finem. Citatur supra pag.

Sub finem sæculorum, vnigenitus filius pro salute mundi vsque ad inferna descendit, & inde protoplastum reuocauit. Quod enim dixit ad Latronem, Hodie mecum eris in paradiso, hoc non illi soli dictum, sed & omnibus sanctis intellige, pro quibus in inferna descenderat.

Idem in 5. caput epistolæ ad Roman.

Intelligimus Christum idcirco in infernum descendisse, non solum vt ipse non teneretur à morte, sed vt & eos qui inibi, non tam præuaricationis crimine, quam morientis conditione habebantur absolueret.

Eusebius Cæsariens. lib. 4. de Euang. demonst. c. 12.

Christus cum altius vocem emisisset, & patri dixisset Commendo spiritum, solutus corpore abijt, mortem à tergo insequens atque impellens, æternasque abditiorum tenebrarum portas refringens, & mortuis qui illic catenis mortis impliciti erant, remeandi ad vitam iter retrorsum aperuit. Et mox. *Dominus noster qui Christus est Dei, victoriaque reportator dicitur, vt propheticis vaticinijs mortem obiurgans inducitur, & animas soluens quæ illic vinctæ detinebantur, &c.*

Idem lib 10. de Demonst. Euang. sub finem.

Vni Christo hoc seruabatur, vt ausus esset regias mortis domus inuadere, atque ad auxilium animarum quæ illic erant, socium se præbere, & vnum illum Orci ianitores conspicati formidauerunt. 305.

Athanasius in symbolo suo.

Descendit ad inferos.

Idem serm. in illud, Profecti in pagum. tom 3.

Resurrexit Dominus tertia die, spoliato inferno.

Idem serm. de Pass. & cruce, post med. tom. 3.

Postmodum eiectus ille miser ex inferno, sedensq; ad limina, conspicatus est omnes suos vinctos, virtute Christi educi; & omnes sanctos qui cum Adamo erant, obuiam cedere.

Idem in Tractatu de natura humana suscepta ab vnigenito verbo, post initium tom. 3.

Mortis condemnationem in inferno peregit, omnia loca permeans. Ibidem paulò post. *Christus in terra potestatem dimittendi peccata, in sepulchro incorruptibilitatem, in descensu inferorum soluendæ mortis potestatem ostendit.* Multis interiectis. *Corpore Christi non vltra sepulchra delato, anima ad inferos penetrauit, vt earum animarum quas infernus tenebat, vincula dirumperet.* 332.

Et paulò ante finem. *Nonne diuisus in duas partes vt homo, & in sepulchro, & apud inferos agebat?* &c.

Basilius in Psalm. 44.

Non inefficax in sepulchro permansit tribus illis diebus, sed in infernum descendit, gratia dispensationis circa resurrectionem absoluendæ.

Idem

Citatur supra pag. Idem in psal. 48. ad illud, Veruntamen Deus redimet animam meam.

Palam vaticinatur Christi ad infernum descensionem, qui vna cum alijs, prophetæ ipsius animam sit liberaturus, vt ibi nequaquam remaneat.

Idem in psal. 115. ad illud. Dirupisti vincula mea.

Ex quo peccati vinculis me exemisti, mox à tuo in infernum descensu, & exoluta hominum numerosissima multitudine, quæ illic mortis astricta vinculis, &c.

Idem, referente Vigilio Tridentino lib. 5.

328. *Deuicto mortis regno, rediji à mortuis Dei filius cum spolijs.*

Gregorius Nissenus orat. 1. de Resurrectione Domini.

In hac festiuitate, confractæ sunt ferreæ mortis portæ, in hac ærei inferni vectes contusi sunt. Nunc mortis carcer aperitur, nunc prædicatur captiuis dimissio. Et multa quæ sequuntur.

Et longius ante finem. *Quomodo eodem tempore, & apud inferos & in Paradiso Dominus fuerit, quæritur,* &c.

Gregorius Nazianzenus in Pascha orat. 2.

Si in infernum descendat, simul descende. Ea quoque mysteria cognosce quæ Christus illic designauit, vtrum omnes sine vlla exceptione aduentu suo saluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat qui crediderunt. Si in cælos ascendat, simul ascende, &c.

Theophilus Alexandrinus lib. 1. Paschali.

Credibile non est quod ad inferos caro eius descenderit, vel prudentia carnis quæ appellata sit anima, inferis apparuerit, sed quod corpus eius positum in sepulchro, & ipse nec de corpore, nec de diuinitate sua dixerit, non derelinques animam meam in inferno.

Inter opera Chrysostomi. hom. 4. in Marcum.

Dominus noster atque saluator, & in terra prædicauit, & apud inferos prædicauit. Ideo mortuus est, & ideo descendit ad inferos, vt animæ quæ ibi vinctæ fuerant laxarentur.

Epiphanius hæresi 46. quæ est Tatian. post med.

332. *Christus venit, vt his qui olim ipsum cognouerant, & ab ipsius Deitate non aberrauerant, verùm propter errores in inferno detenti sunt, indulgentiam largiretur.*

Idem hæresi 69. quæ est Arrianor. post med.

Volebat Deitas omnia perficere quæ ad passionis mysterium pertinent, & cum anima descendere ad inferna, ad operandum salutem eorum qui illic prædormierunt, sanctorum inquam Patriarcharum.

Idem hæresi 77. quæ est Dimær. longiusculè ante finē.

Descendit in Deitate cum anima ad infernum, & soluens ligatos in forti-

fortitudine ac potentia, rediens Deus verbum cum anima sancta, cum qua liberauit captiuitatem, &c. Citatur supra pag.

Idem sub finem Panarij.

Depositus in monumento concluso per lapidem, non conclusa Deitate, sed simul cum sancta anima descendente ad infera & auferente illinc animarum captiuitatem, &c. Eadem ijsdem verbis repetit sub finem Anacephaleosis.

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi illuminat. 4.

Descendit ad inferos vt & illinc iustos liberaret. Cur enim vellet viuentes quidem frui gratia, quamuis plurimi ex his sancti non essent; qui vero cum Adam à longo tempore conclusi erant, deinceps non potiri libertate?

Idem catechesi 14.

Solus Christus quidem descendit ad inferos, cum multi autem inde ascendit. Exterrita est mors videns nouum quendam descendentem in infernum, vinculis quæ illic sunt non ligatum. Fugit mors, accurrerunt sancti prophetæ, &c.

Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem c. 36.

Cum tempus iam esset vt etiam spiritibus apud inferos prædicaret, mortem pro nobis suscepit, & spoliatis inferis, primogenitus mortuorum factus, recursum ad vitam naturæ nostræ largiretur, &c.

Idem libro de recta fide ad Theodosium circa med.

Anima quidem descendit in infernum: diuina autem virtute & potestate vtens, etiam spiritibus qui illic erant apparuit. Neque enim opinor dixerit (Petrus) quod nuda & per se diuinitas descenderit in infernum, &c.

Ephesini Concilij PP.

Pro omnibus Christus gustauit mortem, & tertia die resurgens spoliauit infernum. 328.

Damascenus lib. 3. de orthod. fide c. 29.

Descendit ad infernum anima deificata —— & hoc pacto à sæculo compeditos soluens, rursum ex mortuis rediit, nobis viam parans ad resurrectionem. 364.

Idem in Oratione qua declarat quod mortui viuorum suffragijs iuuentur.

Oportebat omnes (Patres & prophetas) per descensum Dei & Domini nostri ab inferni vinculis liberatos saluari. 363.

Theophilactus in cap. 27. Matthæi.

Mortuorum resurrectio quæ facta est in cruce Domini, significauit eorum qui in inferno fuerint liberationem. 305.

Nicephorus lib. 1. hist. cap. 31.

Iustitiæ sol Christus, anima sola per mortem à corpore segregata, apud inferos iustorum animis præsto fuit.

LA-

LATINI.

Citatur supra pag. Tertullianus lib. de Anima, Tit. de Inferis, cap. 32.
Christus non ante ascendit in sublimiora cælorum, quam descendit in inferiora terrarum, vt illic patriarchas & prophetas cōpotes sui faceret.

Felix Pontifex epist. sua.

326. *Verbum Dei inferni claustra comminuit, vt viuificaret eos qui à sæculo mortui sunt.*

Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 24

373. *Quod ab inferis tertio die resurgeret, apud Oseam, &c.*

Author expositionis symboli apud Cyprianum.

359. *Rediit victor à mortuis, inferni secum spolia trahens. Eduxit enim eos qui tenebantur à morte.* Paulò post. *Consummatis his quæ in terra gerebantur, & animabus de misera captiuitate liberatis, ascendere memoratur ad cælos.* Et iterum. *Quod in infernum Christus secundum animam descenderit, euidenter in Psalmis prænunciatum est.*

360.

Author Serm. de Vnctione Chrism. sub finē, apud Cyp.
Passus est rex illudi, & vita occidi, descendensq́; ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit, &c.

Author Serm. de Resurrect. Christi, apud Cypr.
Honorificatus est Christus resurgens à mortuis, victor mortis spolians inferos, & captiuos præmittens ad superos.

Lactantius lib 4. cap. 19.

372. *Illum apud inferos non remansurum, sed tertio die resurrecturum prophetæ cecinerant.*

Idem in carmine de Resurrectione Dominica.

364. *Solue cathenatas inferni carceris vmbras, &c.*

Iulius Firmicus Maternus, lib. de Mysterijs & erroribus prophanarum religionum, ad Constantinum & Constantem A A. cap. 25. Extat lib. 5. Biblioth. PP.
Ne iustorum meritum ex longa desperatione concideret, fregit claustra perpetua, & ferreæ fores Christo iubente collapsæ sunt. Et postea. *Exultat salutare numen, & triumphales currus eius, iustorum ac sanctorum turba comitatur.* Et quæ sequuntur.

Hilarius lib. 4. Trinit. in fine.

326. *Mortem in inferno peremit Christus.* Idem in psalm. 53.

328. *Morte non interceptus vnigenitus Dei filius, ad explendam quidem hominis naturam, morti se, id est, discessioni se tanquam animæ corporisque subiecit, & ad inferni sedes, id quod homini videtur debitum esse, penetrauit.* Idem in Psalm. 54.
Inferni os clausum, resurgente ex inferis vnigenito Deo non potuit.

Idem in Psalm. 118. ad illud, Adiuua me & saluus ero.
Adhuc sibi obeunda mors est, adhuc inferi sustinendi.

Pru-

Prudentius in Apotheosi post medium. Citatur supra pag.

tumuloq; inferna refringens.

Regna, resurgentes secum iubet ire sepultos? 365.

Cathymerimenon hymno. 9.

Quin & ipsum ne salutis inferi expertes forent

Tartarum benignus intrat, fracta cedit ianua;

Vectibus cadit reuulsis cardo indissolubilis.

Illa prompta ad irruentes, tenax

Obiice extrorsum recluso porta reddit mortuos, &c.

Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum. cap. 1.

Dominus resurrectionis suæ pignore, vincula soluit inferni & piorum animas eleuauit. 305.

Idem ibidem.

Resurgens ex inferis Christus venit, nouis redimitus exuuijs, & spolio ex morte quæsito. 328.

Idem in Hymno.

Inferni claustra penetrans 364.

Tuos captiuos redimens.

Hieronymus in cap. 13. Oseæ. ad finem.

Sanctos intelligimus vasa desiderabilia quæ in thesauris inferni detinebantur, quos alligatos fortè Dominus eripuit & tulit de infernis, & quasi vasa præstantissima secum perduxit in paradisum. 347.

Et infra. *Terra inferi est terra mortuorum; quæ diripitur & vastatur, quando morte Christi vinctæ apud inferos animæ liberantur.*

Idem in cap. 4. ad Ephes.

Inferiora terræ Infernus accipitur, ad quem Dominus noster saluatorq; descendit, vt sanctorum animas quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret. 348.

Idem in cap. 3. Danielis.

In typo præfigurat iste Angelus siue filius Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni, in quo clausæ & peccatorum & iustorum animæ tenebantur, vt absque exustione & noxa sui, eos qui tenebantur inclusi, mortis vinculis liberaret.

Idem in Psal. 15.

Non derelinques: quia propterea illuc (in infernum) descendit, vt electos suos inde eijceret & diabolum ligaret.

Idem in Psal. 29.

Animam Christi, cum alijs animabus sanctorum, Deus de inferno reuocauit.

Idem in Psal. 87.

Inter mortuos liber. Nemo me in inferno vinxit, sed ego vinctorum catenam propria virtute laxaui.

Idem lib. 2. contra Iouin.

Donec moriatur sacerdos magnus, & ad inferna descendens, liberet animas fugitiuorum.

Augustinus lib. 17. Ciuit. cap. 11.

Animam suam Christus eruit de manu inferi, quia propter quorūdam soluenda peccatorum vincula ad inferna descenderat. 352.

Idem

Citatur supra pag. 352. Idem August. Epist. 99. *Quis nisi infidelium negauerit fuisse apud inferos Christum, &c.* Et post. *Teneamus firmissime quod fides habet, fundatissima authoritate firmata, quia Christus apud inferos fuit, solutis eorum doloribus, à quibus rectè intelligitur soluisse & liberasse quos voluit.* Et Epist. 57. ad Dard. post initum. *Quæri solet, Si non pænalia rectè intelliguntur inferna, quomodo animam Domini Christi piè credamus fuisse in inferno? Sed benè respondetur ideo descendisse, vt quibus oportuit subueniret.*

Idem in psal. 85. ad illud, Quoniam misericordia tua.

355. *Nondum Dominus venerat ad infernum, vt erueret inde omnium sanctorum præcedentium animas; & tamē Abraham in requie ibi erat.*

Idem Tract. 111 in Ioannem.

Qui homini pœnaliter pendenti ait, Hodie mecum eris in paradiso; secundum id quod homo erat, anima eius ipso die futura fuerat in inferno, caro in sepulchro. Serm. 137. de Temp. inter serm. Aug. *Carnem in sepulchro posuit, & comitante secum anima ad inferna descendit: Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis sinu, tamen apud infernι claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt,* &c. Sed quæ deprompta sunt ex homil. 22. Greg. in Euang.

Petrus Chrysologus serm. 123.

Ipse Dominus qui clausit infernum, ad inferos tota potestate descendit, vt clausa protinus aperiret, &c Leo ser. 1. Resurrect.

373. *Resurrectio Saluatoris; nec animam in inferno, nec carnem diu* &c.

323. Fulgentius l. 3. ad Trasi. c. 34. & li. de fide ad Pet. c. 2.

Gregorius. lib. 4. Moral. c. 27.

Redemptor noster pro nostræ culpæ debito occumbens inferna penetrat, vt suos qui ei inhæserāt, ad cælestia reducat. Et l. 29. Moral. c. 7. *Profundum maris Dominus petijt, cum inferni nouissima electorū suorum animas ereptiurus intrauit.* &c. Idem lib. 6. epist. 15. *Vera fides per ecclesiam catholicam docet, quia descendens ad inferos Dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide & operatione seruauit.*

Concilium Toletanum 4. can. 1.

367. *Descendit ad inferos, vt sanctos qui ibi tenebantur erueret. Hæc est Catholicæ ecclesiæ fides.* Bernardus serm. 4. de omn. sanct:

304. *In locum (infernū) saluator descēdens, contriuit portas æreas, eductosq́ vinctos de domo carceris, sedentes quidem, sed in tenebris.* &c.

Romanum officium pro defunctis, Respons. lect. 9.

Libera me Domine de vijs inferni, qui portas æreas confregisti, & visitasti infernum, & dedisti eis lumen vt viderent te, qui erant in pœnis tenebrarum.

AVTHORITATVM FINIS.

SVPERIORVM QVORVNDAM LOCORVM ILLVſtrationes, ab ipſo Authore adiectæ.

De quibuſdam malis ſanctorũ affectibus etiam post mortem inhærentibus. AD CAPVT VI. *Pag. 46. post medium.*

QVOD ad piorum pertinet affectus vitioſos, ſciendum eſt alios eſſe illos affectus & motus quos inuiti patiuntur, quibusque reſiſtũt quotidiano certamine, tanquam in ciuili & domeſtico atque inteſtino bello; alios illos quibus adhuc voluntariè diſtinentur, quamuis non vſque ad crimen perpetrandum. Hos enim vſque ad mortem perdurantes, etiam poſt mortem in anima inhærere, nihil obſtat quo minus exiſtimemus, vt indè etiam dolor animi ſit, ab ijs abſtractum eſſe rebus quarum amore tenebatur; Illos verò ex carne ſurgentes impetus quibus hic ſedulò reſiſtebatur, animæ iuſtorum ſimul vt exutæ ſuis corporibus fuerint, deponent, nec vllum ab ijs amplius patientur bellum, metúmue cadendi. Ac de his vitijs loqui Diuum Auguſtinum cum ait lib. 2. contra Iulianum cap. 3. quod anima pia diſcedente peribunt, in reſurgente corpore non redibunt, ſatis ex antecedentibus liquet. Iámne (inquit) diſcernis, iámne perſpicis, iámne reſpicis, & in baptiſmate fieri omnium remiſſionem peccatorum, & cum baptizatis quaſi ciuile bellum interiorum remanere vitiorum? Non enim talia ſunt vitia quæ iam peccata dicenda ſint, ſi ad illicita opera ſpiritum concupiſcentia non trahat, & concipiat pariatque peccatum. Nec tamen extra nos ſunt, quibus vincendis cum in hoc certamine proficienter laboramus, inſtandum eſt. Noſtra ſunt, paſſiones ſunt, vitia ſunt, frenanda, cohibenda, ſananda ſunt; ſed dum

curantur infesta sunt. Et si nobis ad meliora proficientibus magis magisque minuuntur, tamen dum hic viuitur esse non desinunt: discedente hinc anima pia, peribunt; in resurgente corpore non redibunt.

Hæc Augustinus.

De securitate sanctarum animarum in Purgatorio. AD CAPVT VI. *Pag. 56.*

SCiendum est securitatem dici tripliciter: Vno enim modo est in reipsa securitas, quamuis non sit in opinione, quod propriè dixerimus esse in tuto; Alio in opinione etsi nō sit in re; Tertio demum in re & persuasione, quæ perfecta est veraq; securitas. Quibusdam enim nullum imminet periculum & agunt tamen timidius, alij nihil metuunt securique agunt etiam in magnis periculis; Illi demum perfectè sunt securi, qui & periculo carent omni, in tutoque sunt, & ita esse certa cognitione exploratum habent. Quod autem iustorum animę in Purgatorio primo modo securæ sint, liberæ videlicet ab omni periculo excidendi à sua felicitate, illæ
Matth.10. scripturæ docent. Qui perseuerauerit vsque in finem
Apocal.21. hic saluus erit; &, Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo
Eccles.11. tibi coronam vitæ; &, Lignum vbicunq; ceciderit, siue ad austrum siue ad aquilonem, illic erit. Illa quoque ex
Cap. 4. libro Sapientiæ, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, & fictio deciperet animam illius: Vnde constat post hanc vitam, nullum amplius à tentatione periculum impendere. Docet hoc luculenter Diuus Cyprianus, sermone de mortalitate, & Diuus Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum cap. 14. ex Diuo Cypriano, quem docere ait, non solum non esse fidelibus inutilem mortem, verumetiam vtilem reperiri, quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit. Vt autem & tertio modo securæ sint, propriè circa vnumquemque diuini iudicij sententia facit. Quia statutum est hominibus mori, post hoc autem iudicium; & facilè est, (inquit) Sapiens

coram

coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secūdum vias suas; id quod propter diuini iudicij sententiam dictum est qua quisque post mortem continuò vel vitæ adiudicatur vel morti: sola enim hæc est adæquata viæ cuiusque retributio. Neque verò existimandum est sic ferri sentētiam vt esse possit ignota, cùm hoc ipsum circa vnumquemque Dei sententia sit, decreti eius manifestatio qua cuique sua retributio innotescit. Nam & hic alioqui suam quisque sententiam acciperet, imò & accepisset ab æterno, si nihil aliud esset Dei sentētia quam decretum quo quemque secundum vias suas, aut vitæ aut morti destinaret. Sentētiæ ergo circa quemque pronunciatio, Diuini decreti manifestatio est qua suus cuique declaratur futurus status, aut felicitatis aut miseriæ secundū ea quæ in corpore gessit bona aut mala. Quamquam & hoc quod bona & tranquilla conscientia sunt, atque iustificati ex fide pacem habent cum Deo ac regni consequendi fiducia lætantur; imò verò iam intra sese regnum illud habent, de quo Paulus, Regnum Dei non est esca & potus; sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto; id igitur certam ipsis persuasionem facit se non esse damnatos, neque à facie Domini proiectos in æternum: Tales enim desperatione torqueri necesse est, & luctum concipere inconsolabilem. Quod autem Diuus Cyprianus ait, loco citato, pendere quosdam in die Iudicij ad sententiam Domini, id vel huius vitæ metum significat, quemadmodum & illud in euangelio à prudentibus virginibus dictum; Ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Non enim hoc (ait Diuus Hieronymus) de auaritia, sed de timore respondent; aut magnæ misericordiæ & gratiæ intenta significatur expectatio propter actam in sceleribus vitam.

Eccli.11.

Roman.14.

Matth.25.

De Allegoria. Ad finem CAP. XII. *libri primi.*

CVm sit Allegoria duplex, verborum & rerum, tamen apud Theologos familiarius allegoria in rerū

ipsarum mystica significatione ponitur; vt vbi sit allegoria, ibi duplex habeatur sensus: vnus in significatione verborum, qui dicitur literalis; alter in mystica significatione rerum ipsarum quæ verbis designantur. Hoc enim sacræ Theologię ferè proprium est inter omnes disciplinas, vt cum quippiam narratur verbis, vlterius tamen per ipsas res aliud quippiam intelligendum offeratur: velut apertissimum est illis locis; Abraham duos filios habuit. Os non cõstringetis ex eo, non alligabis os boui trituranti, vbi sensus allegoricus altioris intelligentiæ est, quam censet beatus Hieronymus à Paulo interdum spiritualem intelligentiam dici: vt ibi (inquit) Scimus quod lex spiritualis est, pro eo quod est allegorica. Et alibi. Omnes eandem spiritalem comederunt escam, & eundem spiritalem biberunt potum, id est per allegoriam, aliud quippiam spiritualiter significantem. Isto sanè modo euidens est Allegoriæ à Metaphora discrimen, quæ in verborum est significatione translata, nec literalis sensus fines egreditur; vt cum dicimus prata ridere, aut ciuitatem florere. Sicut autem ex sermone metaphorico non ducitur firmum argumentum vbi obscura & incerta verbi translatio est, potestque & in hanc & in illam accipi partem: secus autem cum nota & fixa fuerit & vsu iam trita; velut ex eo quod dicitur Ciuitas florere, cuiuis in prõptu est quid indubitanter colligat; Item ex eo quod de ecclesia dicitur ad literã, Vna est columba mea, colligunt omnes ecclesiæ Christi vnitatem: Sic cum incertum est & obscurum, quid significetur rebus, possuntque huc atque illuc trahi, nullum est firmum argumentum; at vbi certa notaque significatio est, rectè trahitur in argumentum, quemadmodum fecit Paulus, non solum in eo quod scriptum est de duobus Abrahæ filijs, verumetiam in illo de non obligando ore bouis triturantis. Nihil proindè insulsius eo quod Donatistæ pro se afferebãt ex Canticis; Dic vbi pascis, vbi cubes in meridie, quo probarent apud se in Africa esse ecclesiam. Quibus respondens Augustinus. Quis (inquit) non impudentissimè nitatur, aliquid in allegoria positum, pro se interpretari nisi habeat

In caput 4. epistolæ ad Galathas.

1. Corint. 9.

Epistol. 48. ad Vincẽtiũ Rogatistam.

beat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrē-tur obscura. Non ergo docet Augustinus (quemadmodum falsò Lutherus asserit) figuram nihil probare; aut quod hic Benedictus ait, allegoriam ne perspicuam quidem vim habere probandi: sed hoc docet, si obscura sit allegoria, illustrari & perspicuā reddi oportere, vbi vsui sunt & testimonia scripturæ clariora, & constantes celebrioresque interpretationes Patrum.

De igne extremi iudicij. AD CAP. XVII.

IGnis illius extremi iudicij triplex videtur effectus futurus. Vnus in purgatione elementorum quæ mundi conflagratione futura est, qua fiet vt eæ qualitates quæ nostris corruptibilibus corporibus congruebant, ardendo penitus intereāt, succedant autem eæ quæ corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conueniant. Qua de re scriptum est apud Augustinū lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 16. Alius effectus in vindicta impiorum, de quo Paulus ad Thess. posteriore cap. 1. Tertius in probatione iustorum, vbi ignis ille perfectioribus hoc erit, quod fuit caminus Regis tribus pueris, quēadmodum docet Augustinus ad versiculum Psal. 101. Ipsi autem peribūt, & ex Augustino Alcuinus: Vndè & illud est Emisseni hom. 3. de Epiphania. Illuc (inquit) iusti velut per amœnos gurgites, incendijs naturam suam mutantibus transmeabunt intacta ignibus corpora, ipsis honorificanda pœnis quia non sunt onerata peccatis. In illos enim sæuis æstibus nihil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit, & quibus puritas contulit reuerētiam, inferre nesciet rationabilis ardor iniuriam. Qui autem illa quæ huius sæculi sunt vsque in finem amauerint, & cum huius mundi concupiscentia, quāuis non vsque ad mortale peccatum dominante, ex hac vita migrauerint, saluabuntur quidem merito fundamenti, sed detrimentum per ignem accipient; quia non solum mundus, sed etiam eius concupiscentia transire debebit. Ideoque illa tunc exuretur concupiscentia, nisi ante extremum illud iudicium in purgatorij loco fuerit exusta. In quo loco plenè purgati, cum his erunt

in illo die qui illæsi transibunt, quod detractis antea ligno fœno & stipula, nihil tunc præter purum iustitiæ aurum circumferent. Illi detrimentum patientur tunc, quibus adhuc, aut per affectum aut per reatum materia inflammabilis adhærebit. Quod si dixerit aliquis ignem illum conflagrationis, sequuturum esse resurrectionem corporum; Iustos autem omnes in corpore impatibili surrecturos, & ideo tunc nullum eorum posse purgari aut detrimentum accipere. Respondebitur, de ordine rerum tunc gerendarum obscurissimam esse quæstionem, cuius plenam notitiam is solus habeat, cuius tunc nutu illa fient. Sed iuxta enumerationem Augustini, sequitur resurrectionem conflagratio; ponit enim ille primo loco Heliam Thesbiten; deinde ordine conuersionem Iudæorum, Antichristum persequuturum, Christum venturum vel iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumq; diuisionem, mundi conflagrationem & renouationem: Quæ æstimo (inquit) eo ordine esse ventura, quo sunt à me cõmemorata. Cæterum poterit quibusdam iustis corpus resurrectione redditum ad tempus esse patibile, quomodo & nunc anima seiuncta à corpore affligitur ad tempus, postea donanda munere impassibilitatis. Patientur ergo tunc iusti quidam, ipsaque passione & afflictione purgabuntur. Neque id dubium habuit Augustinus vt videre est cap. 25. lib. 20. de Ciuitate, vbi postquam dixisset quæstionẽ de purgatorijs pœnis diligentius esse pertractandam, non quo sciret vtrum futuræ essent, sed quanam ratione dicendæ essent purgatoriæ, subiungit. Filios autem Leui & Iuda & Hierusalẽ, ipsam Dei Ecclesiã debemus accipere, non ex Iudæis tantum sed ex alijs etiam gentibus congregatam; nec talem qualis nunc est, vbi si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus & veritas in nobis non est; sed qualis tũc erit, velut area per ventilationem, ita per iudicium purgata nouissimum, eis quoque igne mundatis quibus talis mundatio necessaria est.

Epistol. 80. ad Hesichiũ.

De consuetudine & vetustate. AD CAPVT XXVI. *libri primi. Pag. 210.*

AVgustino tribuitur à Gratiano sententia qua dicitur; Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper exclusit, cum ea sit Felicis à Buslacenis collegæ Diui Cypriani. Quam tamen sic approbat Augustinus, vt respondens mox adiungat: Si ratio, si veritas, optimè. Et certa quidem res est consuetudinem rationi & veritati præsertim manifestæ, non debere præponi: sed errantibus atque hæreticis plerunque id familiare fuit, vt cum sibi animaduerterent Ecclesiæ consuetudinem aduersari, ad istam sententiam confugerent tanquam ad sacram anchoram, veritati non esse consuetudinem præponendam. Fecerunt hoc Cyprianus eiusque collegæ. Fecit hoc & Tertullianus, cum ecclesiæ relictis castris ad Mōtanicum paracletum transfugisset. Non quidem in mala causa cum ageret de velandis virginibus, sed tamen ad sui instituti respiciens tacitus nouitatem, quemadmodum animaduerti potest ex ijs quæ paulò post consequūtur. Dicit ergo Tertullianus initio libri illius de virginibus velandis; Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium Regionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Iesus Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Et infra; Hæreses non tam nouitas quam veritas reuincit. Quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Hæc Tertullianus; quem vt similia diceret, Cyprianus in caussa non bona sequutus est. Plausibilis enim est per seipsam caussa veritatis; consuetudo verò atque vetustas, veritate nitatur necesse est, neque quicquam ideo aut verum propriè quia vetustum, aut rectum quia consuetum. Cæterum quemadmodum in religione & fide, nouitas index est falsitatis, cum fides noua esse non possit: ita quod contra

Ecclesiæ vetustissimam consuetudinem emergit, eo-ipso se prodit è quo spiritu proficiscatur. Ideoq; Tertullianus ipse cuius illa superiora sunt, audi quid alibi cum adhuc catholicus esset sciiptum reliquerit, initio libri aduersus Hermogenem. Solemus (inquit) hæreticis cōpendij gratia de posteritate præscribere. Inquantū enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreses renunciauit, intantum posteriores quæque doctrinæ hæreses præiudicabuntur, quia sunt quæ futuræ veritatis antiquiore regula prænunciabantnr. Et in libro de præscriptionibus hæreticorum. Sed ab excessu (inquit) reuertar ad principalitatem veritati, & posteritatem mēdacitati deputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum in primo reconstituit: Auenarum autem sterilis fœni-adulterium, ab inimico diabolo postea superducit. Pro parte enim doctinaium distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est: ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum quod sit posterius immissum. Ea sententia (inquit) manebit aduersus posteriores quasque hæreses quibus nulla constantia & conscientia concedit ad defendendam sibi veritatē. Hæc Tertullianus, nobis etiam nunc nostræ ætatis nouatores vero indicio prodens. Quantūcunque enim de veritate sibi applaudant, hoc ipso conuincuntur mēdaces, quia noui. Cùm enim ecclesia Christi debeat esse perpetua, regnumque illud quod in æternum non dissipabitur, fides quoque ac pietas noua esse non possit, sed vna eademque esse debeat omnium temporum, neque ea latens & oppressa ne Christum diabolo subiugemus, sed manifesta semper ecclesiæ professione clara & illustris, certum est verum & pium esse non posse quod deprehendatur nouum, & perpetuæ cum prædicationi tum consuetudini ecclesiæ contrarium. Eam ob rem Christus Dominus veram afferens medicinam, quæ corruptos hominum mores sanatura erat, hoc est ordine progressus, vt miraculis (quemadmodū inquit Augustinus) conciliaret autho-

ca.14.lib de vtil.credēdi.

authoritatem, authoritate mereretur fidem, fide contraheret multitudinem, multitudine obtineret vetustatem, vetustate roboraret religionem, quam non solum ineptissima hæreticorum nouitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter aduersans, aliqua ex parte conuelleret.

AD CAPVT XI. *libri secundi.*

EST & illud animaduertendum, non continuò de Purgatorio dubitari vtrum aliquod sit post mortem, si dubium videatur vtrū defunctis ad refrigerium aliena prodesse queat Satisfactio. Quanquam enim ex oratione pro defunctis, rectè Purgatorium esse statuatur, non tamen sublata pro defunctis oratione Purgatorium tolleretur; cum ipsæ pœnę quamuis temporariæ, post mortem, eò possint Diuino iudicio fixæ esse vt ad nouissimum vsque quadrātem seuerissimè ad omnibus exigantur. Nunc autem ita res habet vt taxata per Dei sententiam in nonnullos pœna, possit interueniēte misericordia mitigari. Tametsi enim Deus consilium non mutet suum, tamen sententiam latam ab eo interdum mutari, & fundatum in scripturis est, & apud veteres ecclesiæ * Doctores tritum.

** Ambro. li. 3. offi. c. 12. Hieron. in 4 & 26. cap. Hiere. & in 4 cap. Dan. & in 3. cap. Ionæ. in c. 7 Amos, & in ca. 8 Zach. Chrysost. homi. 1. & 37 in Genes. Aug. lib. 14 Ciuit. c. 11. Apertissimè verò Diuus Gregor. lib. 15. Moral. cap. 4.*

AD CAPVT VIII. *libri tertij.*

EST in vita Caluini scriptum, quod articulū descensus ad inferos concernit, vnde varium & impudens & nequam illius hæresiarchæ liceat ingenium agnoscere. Cum enim in primis suis catechismis, interpretatus fuisset, descendisse Christum ad inferos quia demissus esset in sepulchrum, ob idque repræhensus esset, quod tam vitiosa fœdaque battologia, bis poneret in breuissimo symbolo sepulturæ mentionem, semel sub expresso nomine sepulturæ cum dicitur Mortuus & sepultus; semel sub nomine descensus ad inferos; quid hic consilij callidus impostor inijt? Nimirum suppressit priores illos catechismos, quotquot potuit vndecunque colligere. Anno verò 1562. sic recudi iussit, vt in ijs ne verbo quidem descensus ad inferos attingeretur. Hæc in vita

Caluini reperies, quam mihi videre contigit gallico ser-
mone descriptam : vnde colligere liceat quam ei pro lu-
do fuerit articulum fidei, aut deprauare; aut modò locũ
aliquem ei in Symbolo dare, modò excludere. Quid ve-
rò in sua Institutione? Primum ait esse extra controuer-
siam, quin ex communi piorum omnium sensu hic ar-
ticulus desumptus sit, quãdo nemo sit Patrum qui non
in suis scriptis descensum Christi ad inferos commemo-
ret; Ac quo primũ quidem tempore insertus sit, parum
ad rem attinere, potius hoc curandũ in Symbolo, vt ple-
na & numeris omnibus absoluta fidei summa nobis cõ-
stet. Et si quos impedit morositas ne in Symbolum ad-
mittant, mox tamen se planum facturum tanti interesse
ad redemptionis nostræ summam, vt ea prætermissa mul-
tum ex mortis Christi fructu depereat. Atque adiun-
git esse quidem qui opinentur non aliquid nouum hic
dici, sed aliis verbis repeti quod de sepultura dictũ fue-
rat; verùm nõ esse verisimile irrepere hic potuisse super-
fluam eiusmodi battologiã. Denique quid mysterij ha-
beret descensus ad inferos explanans, eum in ipsa cruce
peractum docet, in eo quod implicitus fuerit doloribus
ijs, quos parit maledictio & ira Dei. Nõ enim fingi pos-
se magis formidabilem abyssum, quam sentire te à Deo
derelictum & alienatũ, & cùm inuocaueris nõ exaudiri,
perindè atque si in tuam pernitiem ipse conspirasset.
Hæc aliaq; in eandem sentẽtiam Institutionum suarum
lib. 2. cap. 16. sect. 11. anno 1561. Considera hic, Lector,
varietatem leuissimam versipellis ingenij, quod huc il-
lucq; suæ præsumptionis vento iactetur, nec tamen sen-
sum mutet in melius, sed in absurdiora proficiat. Primo
enim descensus ad inferos nihil aliud quam sepultura
fuit, vt descenderit ad inferos secundum corpus. Secũdo
descensus ad inferos horribili & indignissima Christo
desperatione, & tetris damnatorũ cruciatibus fœdatur
atque obscuratur. Tertio demum loco, eraditur descẽsus
è Symbolo tãquam ex priorum interpretationum pœ-
nitudine. Quod autem Paulus ait cap. 4. epist. ad Ephes.
descendisse Christum in inferiores partes terræ, id negat
omninò pertinere ad Limbũ aut descensum ad inferos.
Non

Non enim esse comparationem vnius partis terræ cum altera,sed totius terræ cum cælo; Quasi scilicet dictum sit in inferiores partes mundi,& non in inferiores terræ partes.


Si quis autem forte miretur,vnde potuerit Caluino in mentem venire , tam noua tamq; absurda interpretatio descensus ad inferos , quam & in sua Institutione tanti facit,& in Catechismis quibusdam suis explicatam reliquit; Ille quidem de hac cõstare sibi dicit ex Dei verbo, tanquam sancta & pia, plenaque eximiæ consolationis; sed adiutorem illi fuisse arbitror Erasmum, cuius in libello de præparatione ad mortem,verba sunt; Gehenna (inquit) cum summis malis summam habet desperationem; huius igitur horror superat omnem horrorem: quem tamen clementissimus redemptor vt nobis mitigaret in sese recipere dignatus est. Quod in horto expauit & angore extremo sic correptus est vt sudaret sanguine , nostræ naturæ erat infirmitas; quod autem affixus cruci clamat, Deus meus , Deus meus , cur deseruisti me ? longè à salute mea verba delictorũ meorum, videtur gehennæ horrorem animo persensisse. Quid enim superest à Deo destitutis, nisi extrema desperatio? Hæc,ni fallor, verba Christo impingunt extremam desperationem,quoniam à Deo fuerit destitutus quemadmodum ipse conqueritur,Vt quid deseruisti me? Hoc autẽ cum Caluinus sibi obijci videret , quod Christum faceret desperantem cum atrocissima filij Dei iniuria, id quidem refert ad exaggerationem calumniæ, sed se tamen non expedit.Quo namque modo non fuit necesse desperare eum qui se sentiret à Deo esse derelictum? Agnouit hoc Erasmus ingenuè,nihil superesse à Deo destitutis nisi extremam desperationem. Atqui fatetur cum Erasmo Caluinus Christum à Deo fuisse desertũ, non ad hoc modò vt moreretur secundum carnem,verumetiam vt tanquam in gehennam iturus videretur. Nulla (inquit) fingi potest magis formidabilis abyssus quam sentire te à Deo derelictum & alienatum, & cùm inuocaueris non exaudiri,perindè atque si in tuam perniciem ipse conspirasset . Eò Christum videmus fuisse

deie-

deiectum, vt coactus fuerit vrgente angustia exclamare; Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti? Et addit. Quod enim nonnulli volunt ex aliorũ potius opinione, quam ex suo sensu sic locutum fuisse, nequaquam probabile est, cum ex intimi animi angore deductam fuisse vocem constet. Dixerat autem paulo antè, sciri debere non modò corpus Christi in prętiũ redemptionis fuisse traditum, sed aliud maius & excellentius prætium fuisse, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit. Quis autem est damnati ac perditi hominis cruciatus, nisi quod ad salutem reditum sibi esse posse desperet? Si enim confidit & sperat adhuc, neque vanam eam spem esse exploratum habet, tum se pro perdito & damnato nequaquam habere potest, quare nec diros illos cruciatus damnati ac perditi hominis perferre: vbi enim solida spes est atq; fiducia, magnum id profectò medijs etiã in malis solatium est. Quid igitur esse putes vbi adsit certissima securitas? Atqui sciebat Christus se in gehennam detrudi non posse, non modò sciẽtia suæ diuinitatis, verumetiam animæ suę perpetua visione Dei beatæ. An fortè scientiam illam propositæ in conspectu gehennæ horror excussit? Hic vero nimius fuisset excessus, perturbatę atque extra se positæ mentis. Atqui hoc ipso loco suarum Institutionum Caluinus diligenter admonet, cum fuerit integer Christus, in cũctis eius affectibus eam fuisse moderationem, quæ omnem excessum cohiberet. Non video etiam quæ possit maior esse, phrenesis quam formidare & timere tam vehementer quod euenire non possit. Certè hi quos mente captos cernimus, qui gladios metuunt quorumlibet prętereuntium, à quibus nullum eis periculum est, metuũt tamen id quod accidere potest. At Christus, secundum Caluinum, timuit & anxius fuit, ingentesq; animi cruciatus perpessus est, tãquam si perditus ac damnatus esset, propter gehennę considerationem, in quam incidere non potuit. Nónne hanc intolerabilem phrenesim videri necesse est? Vtcunque ergo amoliatur à Christo desperationem, quod tamen non potest si secum velit consentire, interim quin timuerit Christus quod timere nõ

de-

debuit, id effugere nullo modo potest. Timuit autem quod timere nō debuit, si hoc timuit quod euenire non potuit. Nam vel ignorantis hoc est, quam ignorantiam longissimè à Christo alienam fuisse constat, vel præ perturbatione & ægritudine animi nō attendentis id quod alioqui non ignoretur. Est etiam timor ille gehennæ tantus, planè seruilis. Cuiusmodi timorem Ioannes negat esse in charitate; eumque foras expelli affirmat, vbi *1. Ioann. 4.* perfecta sit charitas. Num ergo Christus perfectam non habuit charitatem? Tale certè conscientiæ tormentum, quale Ioannes cum perfecta charitate negat consistere, in Christo fuisse Caluini catechismus docet, vbi Magister loquitur. Hinc colligimus quid differat conscientiæ tormētum, quod sustinuit Christus, ab eo quo cruciantur peccatores, quos Dei irati manus persequitur. Nam quod in illo temporarium fuit, in his est perpetuum; & quod illi vice duntaxat aculei fuit ad pungendum, his est lethalis gladius ad cor sauciandum. Habuit ergo secundum istum Christus conscientiæ tormentum, quale sustinent peccatores, in quibus charitas non est. Nec sanè refert, an perpetuus an temporaneus; an tanquam aculeus pungens aut gladius confodiens; cum constet, vbi sit perfecta charitas, ibi tormentum eiusmodi esse non posse. Ex his iam facillimè dilui potest, quod illi visum est Achillæum & inexpugnabile; Pontificem habere nos, qui nostras expertus infirmitates compati nobis posset, quique tentatus esset per omnia pro similitudine, absque peccato: *Hebr. 4.* Non enim Christo accidere sine peccato eiusmodi angoris tentatio potuit, quæ sine diminutione charitatis esse non queat; quam in eo flagrantissimam perfectissimamque semper esse necesse fuit.



I N-

INDEX SCRIPTVRARVM
quæ in præcedentibus tribus Libris explicantur :

Et primum, E VETERI TESTAMENTO.

Isaiæ

EX NOVO TESTAMENTO.



INDEX RERVM, QVÆ LIBRIS TRIBVS praecedentibus continentur.

A.

D.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

 sed

Recep-

R.

S.

INDICIS FINIS.

Pagina 38 versu 4. à fine, addatur in margine locus Augustini ex Tractatu 41. in Ioannem. Pagina 45. versu 12. pro qui, lege quod. Pag 89. versu 11. lege æternum vitaret interitum. Pag. 90 versu 7. pro Hodie, leg. Cras. Itidem versu 19 & 20. Pag. 116. vers. 10. le. αὐξητικῶς. Pag. 164. ver. 1 protum, l. tamen. Pag 192. ver. 25. lege diligentiam. Pag 223. ver. 17. l. a'ijs. Pag. 225. addatur locus Tertulliani de Resurrectione carnis, in margine. Pag. 226. versu 9. pro collegerit, l. coëgerit. Pag 301 ver. 4. pro Eccles. 9. l in mar. Eccli 14. Pag. 312. ver 2. à fine, addatur, clarissimè vel vnus ex D. Greg. l. 4. Moral. c. 27. inter plurimos supra pag. 16. postremo loco citatus B. Ans.

CENSVRA.

Hi libri, quia doctè, contra Aretium, & alios, DE PVRGATORIO ET LIMBO conscripti sunt, vtiliter excudentur.

Ioh. Molanus, censor.

Scriptum hoc D. Ioannis Lensæi, in quo catholica DE PVRGATORIO ET LIMBO PATRVM, quem vocãt, doctrina, cum aduersus cæteros, tum verò vel maximè contra Benedictum Aretium, nulli hæreticorum nostri temporis eruditione ac ingenio inferiorẽ, solidissimè inuictissimeq; defenditur; & quibus ea confirmari à nostris solet, ab eorundem calumnijs mira euidentia dexteritateq; scripturæ vindicantur; & totius in hoc dogmate Antiquitatis consensus exhibetur; dignissimũ esse iudico, quod typis excusum in publicum emittatur, & ab omnibus quam diligentissimè legatur.

Ita iudico, qui totum hoc opus à capite ad calcem attentissimè perlegi, Henricus Grauius S.Theolog. Regius Louanij professor.

PRIVILEGII SVMMA.

PHILIPPVS *Dei gratia Hispaniarum Rex, &c. Dux Brabantiæ, &c. Priuilegio concessit Ioanni Masio, Typographo iurato, vt illi imprimere & distrahere liceat librum, cuius titulus est:* De Fidelium animarum Purgatorio, libri duo: &; De Limbo Patrum, liber tertius. Authore Ioanne Lensæo Belliolano, S. Theol. Louanij Regio Professore: *vt latius patet in originali Priuilegio, dato Louanij, Anno 1584. Die 7. Mensis Septembris.*

Subsignatum

De Roij.